BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVI
C
37
NAPOLI

MICHAELIS MOESTLINI

# CHRONOLOGICÆ

## THESES ET TABULÆ

BREVES CONTRACTÆQVE: AD INVEſtiganda Tempora Hiſtoriarum & Epocharum potiſſimarum, præſertim Sacrarum; à Creatione Mundi, ad ultimam Hieroſolymorum vaſtationem, accommodatæ: cum Exegeſi Quæſtionum Chronologicarum:

BONO PUBLICO EDITÆ

*Studio & Curâ*

SAMUELIS HAFENREFFERI,
Philoſ. & Med. Doctoris.

NAPOLI

TUBINGÆ,

Typis & Impenſis Philiberti Brunnij,

ANNO M. DC. XLI.

Sereniſſimo Principi,

# AVGVSTO

Duci Brunſuicenſium & Luneburgenſium, &c. Principi ac Domino meo clementiſſimo,

*OMNEM FELICITATEM.*

A teneris annis uſque, magne Princeps, ſumma tui admiratio in animo meo habitat. Cum enim Ser^ma^ CELSITVDO Tua, ante hos XLIIII annos, hanc Tubingenſem præſentia ſua magnificentiſſime illuſtraret Academiam; incredibile eſt, quantum quotidiani ab inſolitis, ſed tanto faſtigio digniſſimis,

dico affatibus, orationibus, diſſertationibus, ſermonibus, actionibus, & moribus omnibus tuis, excitati favores applauſusque me commoverint: qui non iam amplius, ut in parietibus Templorum, in periſtromatis, tabulisque Pietatem, Charitatem, Juſtitiam, Temperantiam, Doctrinam, & id genus humanarum mentium apices, virgineo habitu depictas divas intuerer; Sed in Auguſto eoque ſpecioſiſſimo corpore tuo vivas Heroicas Virtutes omnes, veluti novas ab aureo ſeculo propagines, coram ſtupens ſpectabam. Nec parum huic conceptæ opinioni ponderis addebat Patris mei, Matthiæ Hafenrefferi, Theologi, τῦ μακαρίτυ, authoritas: qui Ser^mæ CELS. T. quoties faciebat mentionem (& faciebat ſæpiſſime) toties longo ordine commemorabat decora tua in-

comparabilia, dotes corporis animique non facile alibi coniunctim ſic invenien-das, inæſtimabiles; ita ut laudum cumulos ut plurimum ſanxerit voto, in hanc ſententiam: Faciat DEVS Opt. Max. ut AVGVSTVS Princeps ſit ſalvus, incolumis, fruaturque felix longiſſimo ætatis excurſu: quo vitæ ſanctitate & ſplendidiſſimis actibus Pietatem undique flacceſcentem erigere, Juſtitiam multis locis ſemimortuam redanimare, Honeſtatem tyrannide vitiorum cunctis machinis oppugnatam vindicare, pulcherrimarum Artium diſciplinarumque gloriam ſtabilire; & denique omnibus Principibus Dynaſtiſq;, præſentibus ac poſt futuris, ſpeculum, ad quod ſinguli ſeſe componant, præbere poſſit: nec porro opus ſit, ex ethnica antiquitate Numæ pietatem, Artaxerxis æquitatem, Africani ſupe-

rioris moderationem, M. Curii temperantiam, Julii Cæſaris clementiam, juſtitiam Ariſtidis, ſapientiam Socratis, M. Antonini Philoſophiam, Hadriani linguarum ſtudium, aut alios Imperatores, Reges, Summateſve viros in exemplum arceſſere; ſed unice ſufficiat, AVGVSTVM Ducem Brunſuicenſiũ & Luneburgenſium producere, quem Magnates alii, quaſi normam ſequantur atque imitentur. Hæc, Domine, me adoleſcente de Ser^ma^ CELS. T. loquebatur Tubinga: hæc erat omnium bonorum vox, hæc celebratio, hæc expectatio. Tantum autem abeſt ut ſequentibus temporibus, quibus Ser^ma^ CELS. T. ampliſſimorum paternorum Ducatuum & ditionum capeſſivit gubernacula, & rexit hactenus feliciſſime, quicquam deceſſerit tantæ exi-

tæ exiſtimationi; ut etiam ultra Sauromatas & Indos longe protulerit bona fama, & ebuccinaverit mirificas ſaluberrimasque AVGVSTI Principis curas; exactiſſimum nempe Divini Numinis cultúm, amorem Reipublicæ & ſubditorum populorum paternum, juſte facta, prudenter inſtituta, excogitá ſapienter, ſcripta acute utiliterque, & res alias præclariſſime geſtas: quæ omnia monumentis æternum victúris dudum conſecrata, privata laudatione mea hîc prolixius exequi non audeo, veritus, ne vel intempeſtivis encomiis favonios auramque gratiæ tuæ captare voluiſſe videar, vel magnitudini meritorum tuorum imparia verba feciſſe culper. Non verecundabor tamen illud profiteri; cum in epidemia iſta dira, fatum etiamnum urgente, Germaniæ calamitate, &

ego ſubinde triſtitia caſuum affligerer quoque, præſertim ex quo inclyta & omni prædicatione ſuperior Dn. VRSVLA PALATINA, Duciſſa Württembergiæ, beatæ recordationis Heroina, cui per multos annos à Medicis Conſiliis fueram, mortalis eſſe deſiit; me deinceps contumacia graſſantium malorum externatum non ſemel impetum cepiſſe, confugiendi ſub umbram alarum tuarum; ea Clementiæ tuæ fiducia fretus, ut certum habuerim ſub Imperio Ser^mæ^ CELS. T. non ſolum mihi atque charitatibus familiaribus meis tutam ſtationem minime denegatum iri, ſed talem etiam ſtudiis meis Mecœnatem præſto futurum, qualem alibi gentium vix ſperare deberem.

Verum

Verum interea, dum bellicæ tempeſtates hinc inde deſæviunt, ac variis eventuum typhis & horrendis procellis ad ſanctiſſimæ patriæ perniciem inquietas agitant animas; Ego centone pietatis me involvens, Martis inſolentiæ & minacibus armis Chriſtianam oppono patientiam; neque raro mutuor ex Sacris Pandectis, & Bonarum Artium myrotheciis jucundiſſima Solamina, valida eo uſque, ut hoſtiles inſultus, rapinas, depauperationeſque moderatiori ſtomacho concoquam, & ſilentio non difficili tegam. In hoc compoſitæ mentis ſeceſſu, creber ſum in libris Præceptorum meorum repetita lectione penitius cognoſcendis, & multoties experior, bene multas inſignes, & pereruditas commentationes & libros damnari tenebris

ad eſcam blattarum; quos tamen in lucem emitti publicarique, Reipublicæ interſit ſummopere.

Quâ causâ rationes inire cæpi, quibus inſontes, bene merituras, atque à defunctis eximiis Doctoribus poſteritati erudiendæ ſcriptas chartas, ſqualori & oblivioni eriperem pro virili. Periculum itaque facturus, Clariſſimo Mathematico, Dn. Michaeli Mœſtlino, Præceptori meo nunquam ſatis laudato, induſtriam fidemque inprimis addicere & probare debui. Quem optimum ſenem, uti ſcio, indefeſſis diurnis nocturniſque ſtudiis occupatum, ſemper aliquid ſelectum memoriæ cauſa conſignaſſe, domi tamen in ſcriniis continuiſſe, nec facile, niſi precibus & hortatibus amicorum expugnatum, typographis commiſiſ-

ſe quicquam: ita vehementer miror, cur hæredes ſcripta parentis inedita manumittere, & tam ſanctum depoſitum in lucem proferre, tot annorum, qui ab obitu chariſſimi capitis fluxerunt, intercapedine inſuper habuerint: & vero timeo, ne vel domeſticorum incuria, vel etiam cacularis militiæ petulantia, major nobiliſſimorum laborum pars publico malo dudum perierit. Equidem Sacra Cæſarea Majeſtas, quæ ſingulari Aſtronomicarum ſcientiarum amore ardens, Mœſtlini manuſcriptas Obſervationes & Annotationes hic Tubingæ diligengenter conquiri ante paucos annos imperaverat, fere fruſtra fuit; haud dubie jam tunc melioribus paginis aut furtim à Lucumonibus ſubtractis, aut à famulorum lixarumque vulgo inter frivola diſperſis & abjectis.

Atenim cum & ego CHRONOLOGIAM Mœſtlini, à me adhuc juvene ex autographo deſcriptam, atque ab ipſomet poſtea Autore, quem hoc nomine rogaveram, accurate caſtigatam, jam triginta annos & quod excedit, aſſervarim, & verò nunc intelligam, autographum ipſum nuſpiam apparere, nec indagari poſſe; mature providendum duxi, ut ne, forte meo, ac propterea uno alteroque alibi extantibus exemplis peſſumdatis (quod quam proclive hodie ſit, experientia planum facit) tandem inſignes Mœſtlini Meditationes, quæ tamen quibuslibet ejuſdem argumenti ſcriptis, veteribus & novis, palmam redditura ſint ambiguam, prorſus evaneſcerent. Nec mora: victurum opus ilicet operis & formis Typographicis tradidi: quod

quod etiam ex animi ſententia abſolutum jam publico, & ſic Mœſtlinum in orbis Literarii theatrum denuò deduco; rationes dictaturum, quibus tempus annus & dies creationis Mundi inveſtigari, ac potiſſimæ Hiſtoriarum ſacrarum Epochæ inter ſe conciliari connectique debeant.

Tibi autem Sereniſſime Princeps, Mœſtlinum vicaria ego ſolicitudine humiliter hic ſiſto; atque à Ser^mæ CELS. T. cunctis precibus ſubmiſsè contendo, ut, quem vivum olim Tubingæ præcipua gratia & humanitate complexus fueras, eundem in publicata CHRONOLOGIA, nunc redivivum ſereno vultu iterum excipere; & unà meipſum quoque clementiſſimo patrocinio tuo dignari uelis. DEUM vene-

ror, ut Ser$^{mam}$ CELS. T. tam pie, tranquille, & juſte gubernacula imperii moderantem, omnibus maximis benedictionibus ornatiſſimam præſtet quam diutiſſime felicem, ac ſemper novis laudum acceſſionibus beatam. Dabam Tubingæ, die 28. Martij. Anno 1641.

Ser$^{mæ}$ CELSITVDINIS TVÆ

*humilimæ devotionis ſervus*

Samuel Hafenreffer D.

# EPIGRAMMA
# THOMÆ LANSII,
In
## CHRONOLOGIAM
# MICHAELIS MOESTLINI,
## Mathematici primarii.

CONciliare Epochis Epochas ab origine Mundi,
Abbatis quantum peccet & Aera minor;
MŒSTLINI hoc CHRONICI CANONES juſto ordine monſtrant,
A ſera digni poſteritate legi.
Non cumulo laudes doctoris. Nomen enim unum
MŒSTLINI, laudum celſius eſt cumulo.

Hermodama, cunctis GASSENDE domeſtice cœlis,
Vllo terrarum nec peregrine loco;
Et tu TERRENTI, qui nunc ad Seras & Indos
Fers, quem ignorabat Gymnoſophiſta, DEUM;
Vos, animæ illuſtres, MŒSTLINUM expendite. Vobis
Mallem ego, quam vulgi mille placere Sophis.

In

IN CANONES CHRONOLOGICOS,

# MICHAELIS MOESTLINI,

## τοῦ μακαρίτου,

## Mathematici ſummi, &c.

### EPIGRAMMA.

*OMnia dum retrò Mundi Veſtigia quærit,*
*Mæſtlinum meriti deſtituêre dies.*
*Sed ne Tempus edax, aviq; injuria ſeri*
*Deleat excelſi Nomen & acta Viri,*
*Ipſe ſibi annoſi devinxit ſecula Mundi,*
*Et ſpolia ex ipſo Tempore rapta tulit.*
*Grande puerperium Cineri debemus & umbræ,*
*Quod vivus preſſit, mortuus edit opus.*
*Inſtruit è Tumulo populos redivivus & orbem,*
*Pro Cathedris ſatis eſt omnibus Vrna Viri.*
*Perpetuum ô Canones vobis ſperate virorem,*
*Et duraturi carpite Veris opes!*
*Hic eſt ille Liber, cui Vitam ſancta vetuſtas*
*debet, & à prima tempora ducta die,*
*Quem Kepplerus amet, cui SETHVS Baſia figat,*
*Quem velit & Magnus Scaliger eſſe ſuum.*
*Hunc abiens veniensq; ſimul mirabitur ætas*
*Hoc Mauſoleum condidit ipſe ſibi.*

M. HENRICUS Schmidt,
Diaconus & Prof. P.

---

I liber in Mundum. Auricomus ceu phoſphorus eſto;
Prædicens clarum ſolis adeſſe jubar.

*Johann. Jacobus Hainlin,*
*Eccleſiæ Derendingenſis*
*Paſtor.*

*PROPO-*

PROPOSITIONES CHRONOLOGICÆ,

# METHODUM INVESTIGANDI TEMPUS, ANNUM ET DIEM CREATIONIS MUNDI, ET CONNECTENDI,

potiſſimas hiſtoriarum ſacrarum Epochas, exhibentes.

## PROPOSITIO I.

ANnorum Chriſti, *ſecundum uſitatam numerationem, copulatio, cum* Annis Nabonaſari, *ſicut ea in aſtronomicis tabulis Prutenicis notatur, rectè habet. Illi anni, ceu à Chriſto nato numerati, uſurpantur tanquam commune Annorum tàm in politico, quàm Eccleſiaſtico uſitato computo, æquè ad antecedentia ac ſequentia Epochen Chriſti tempora, numerandorum vehiculum: Hi verò, quibus potiſſimum Ptolemaus Aſtronomus utitur, à Nabonaſaro deducti, præ omnibus aliis maximè conducunt ad præcipuarum Epocharum & propriorum Aſtronomicorum Characterum Temporum veram indagationem, & certam atq; exquiſitam diſtributionem. Diſtantia harum Epocharum, eſt Annorum 747. Aegyptiorum, & 130½. dierum.*

## II.

*Vera* olympiadum, *& uſitatorum Annorum Chriſti applicatio; habet diſtantiam 775½. annorum Iulianorum, h. e. Epocha Annorum Chriſti uſitata incidit in Annum 4. olympiadis 194.*

## III.

Auguſti Octaviani, *ſecundi Romanorum Cæſaris, obitus, incidit, juxta uſitatam numerationem, in menſem Auguſtum, anni 14. Chriſti. Atq; hinc Annus 15. Tiberii* (Luc. 3.) *incipit, menſe Auguſto, anni 28. & finitur in Auguſto, anni 29. vulgaris Epocha annorum Chriſti.*

## IV.

Herodes Magnus, *infanticida, ſub quo Chriſtus Mundi Salvator natus eſt, periit proximè ante Paſcha Iudæorum, anno tertio ante uſitatum initium Annorum Chriſti.*

*Huic Filii, Archelaus in Iudæa, Herodes Antipas in Galilæa & Philippus in Ituræa, &c. ſucceſſerunt Tetrarchæ.*

V.

Chriſtus *in Autumno natus eſt: Sicut & Mundus ſeu potius ſol cum Luna & ſtellis Cœli, die 4. creationis, in autumnali Aequinoctio, fuit creatus: & Diluvium quoq; in Autumno cœpit.*

VI.

Uſitata Epocha Annorum Chriſti, *qua, ut dictum communiter tàm in Eccleſia, quàm in politia, ex Inſtitutione Dionyſii Exigui, aliquando, circa annum Epoches Chriſtianæ 532. (eousq; numeratio Annorum à Chriſtò nato communiter uſitata nondum fuit) Abbatis Romani, utimur, ſequitur verum Chriſti natalem 4. annis cum quadrante, h. e. Chriſtus natus eſt in Autumno ejus anni, qui juxta uſitatam Dionyſianam numerationem, ante putativum ejus natalem quintus eſt. Hinc conſtat, quod non tantum communis opinio, ſed etiam plurima aliæ (quarum quædam aſſerunt, ad uſitatam noſtram Dionyſianam numerationem, Annum 1. quædam duos, addendos eſſe. Quædam verò annos 10. aliæ annos 21. non nullæ etiam multò plures ſubtrahendos &c.) ſint erroneæ.*

VII.

*A vero Chriſti natali, retrò ad ſecundum* Darii Nothi Regis Perſarum, *annum propè finitum (quo exiit verbum de reædificando Templo & inſtaurandis Muris Hieroſolymorum) ſunt Anni 416. Hic autem Darius Nothus, nec ullus alius ex Perſarum Regibus, eſt ille Darius, de quo* Dan. 9. cap. 1. Esdræ. 4. 5, & 6. c. *& apud Prophetas Aggæum & Zachariam legitur.*

VIII.

*A fine ſecundi Anni (vel eo ferè finito) Darii Nothi ad 1.* annum Cyri, *ſeu potius ad finitam captivitatem Babylonicam populi Iudaici, ſunt anni 116. Tàm diu non proceſſit reædificatio Templi.* Esdr. 4. verſ. 5. & ult.

IX.

Anni 70. captivitatis Babylonicæ *incipiendi ſunt à deſolatione urbis Hieroſolymorum & deſtructione Templi quæ facta eſt Anno 11. Zedechiæ Regis Iuda, & anno 19. Nebucadnezaris Magni, Regis Babyloniorum labente. Hic Nebucadnezar, aliàs Nabuchodonoſorus dictus, eſt Nabopollaſarus Ptolomæi. lib. 5. c. 14. Almageſti.*

X.

*Annus captivitatem Babylonicam proximè præcedens, qui eſt* Annus 10. Zedechiæ, *& Annus 18. Nebucadnezaris, fuit* Jubilæus Jerem. 34.

XI.

*Ab hoc Iubilæo Anno, excluſivè, ſive finito,* ad ultimum Jubilæum *in terrâ Iudaica, ante poſtremam Hieroſolymorum everſionem celebratum, incluſivè ſunt anni 637. Is autem ultimus Iubilæus incidit in Annum 17. Tiberii, qui eſt annus 35. ſecundum veram, ſed 31. ſecundum vulgarem numerationem ætatis Chriſti, atq; annus ſecundus prædicationis ejusdem, poſtquam à Iohanne fuit Baptizatus.*

XII.

Ab initio captivitatis Babylonicæ, retrò numerando, ad diviſionē Regni Iſraëlitici in Regnum Iuda & Iſraël, mox poſt mortem Salomonis ſunt præciſe anni 390. (Ezech. 4.) Atq; ab eodem Anno retrò ad annum 22. Samuelis ſive 21. Arcæ Domini reductæ (proximum poſt 20. annum, 1. Sam. 7.) excluſivè, ſunt anni 490. Ergò & ille annus 21 Arcæ reductæ, ſive vigeſimus ſecundus Samuelis, fuit Iubilæus.

XIII.

Ita ab hoc 22. anno Samuelis, incluſivè, retrò ad initium occupatæ terræ promiſſæ, captum ultimo ſemeſtri vitæ Moſis, trans Iordanem, à quo deinceps ſequentes anni Sabbatarii & Iubilæi numerabantur ſunt anni 490. Ab hoc Initio ad Iubilæum anno 31. Chriſti (ſecundum vulgarem calculum) actum, incluſivè, ſunt anni 1617. Hic itaq; in terra Iudaica ultimus Iubilæus fuit, numero triceſimus tertius.

XIV.

Inde retrò ad Egreſſum Populi Iſraëlitici ex Ægypto, ſive ad primum Paſcha ſunt anni $39\frac{1}{2}$. Ergò ab hoc primo Paſchate ad Chriſtum natum, ſunt anni $1621\frac{1}{2}$. ſed ad uſitatam Epochen Chriſti ſunt anni $1625\frac{1}{2}$.

XV.

Ab hoc Iſraëlitarum Egreſſu ex Aegypto, ad vocationem Abrahæ factam Anno 75. ætatis ejus, ſunt anni 430. Et amplius, retrò usq; ad Diluvii initium ſunt anni $367\frac{1}{2}$.

XVI.

Ab initio Diluvii ad principium Creationis Mundi, ſunt Anni 1656.

XVII.

Igitur ab initio Mundi creati, vel potius à meridie quarti diei creationis, quo Sol, Luna & Stellæ creatæ ſunt, ad verum natalem Domini noſtri IESV CHRISTI, ſunt Anni 4075. ſolares. Sed ab eodem initio ad vulgarem Epochen Chriſti ſunt Anni Iuliani 4079. cum quadrante, ferè, ſeu potius, cum hebdomadibus 10. vel præciſè, Anni Aegyptii 4081. dies $359\frac{1}{2}$. qui ſunt $1489924\frac{1}{2}$. dies. Calculo autem Aſtronomico applicati, ſunt, ſexagenæ dierum $\frac{3^a}{6}\ \frac{2^a}{52}\ \frac{1^a}{52}\ \frac{0}{4}\ \frac{Scr.}{30}$ ſed ad Initium veſperæ primi creationis diei $\frac{3^a}{6}\ \frac{2^a}{53}\ \frac{1^a}{52}\ \frac{0}{8}\ \frac{Scr.}{35}$ h. e. Anni Iuliani 4079. dies $73\frac{1}{4}$.

## Loco Appendicis.

XVIII.

Chriſtus pro Salute generis humani in cruce mortuus eſt, anno prædicationis, ſive Miniſterii ſui $4\frac{1}{2}$. peracto, anno ætatis $37\frac{1}{2}$. (qui ſecundum uſitatam numerationem eſt annus $33\frac{1}{2}$. fere, hoc eſt annus trigeſimus quartus labens, Die 23. Aprilis. Et reſurrexit à mortuis die 25. Aprilis, Anno Mundi $4112\frac{1}{2}$. Is fuit annus 1. olympiadis 203.

XIX.

A paſſione Chriſti ad everſionem Hieroſolymorum, ſunt anni $36\frac{1}{2}$. Ab initio autem prædicationis Chriſti eo usq; ſunt anni 41. ſed ab initio ultimi Iubilæi, ad illum ur-

*bis vaſtationem, ſunt anni 40. Atq; ab anno ſecundo Darii Nothi, ad hanc eandem Hieroſolymorum urbem, per Titum Romanorum Imperatorem exciſam, totumq; Iudaeorum populum à Deo abjectum, ſunt anni 490. ſive 70. hebdomades Annorum, juxta Danielis Prophetiam, Dan. 9. Item ab initio occupatæ Terræ ac populi hanc miſeram depopulationem & diſperſionem, ſunt anni 1656. Atq; tàm diu ſtetit politia Iudæorum.*

*Hæ propoſitiones demonſtrantur Rationibus Chronologicis, deſumptis ex propriis ſuis fundamentis videl. ex S. Scriptura, probatis Hiſtoricis, ubiq; temporum Characteribus diligenter obſervatis: Et confirmantur calculo Aſtronomico. Nam utut ulla ratio tàm ex S. literis quam prophanis Scriptoribus prolata, ſpecioſa videatur: pro rectè tamen & benè adducta accipiendam non cenſemus, niſi certis temporum Characteribus ſit circumſcripta, & calculum Aſtronomicum etiam conſentientem habeat.*

*Rejiciendas quoq; imprimis judicamus omnes præſertim in fundamentalibus terminis, coactas hiſtoriarum, aut Characterum Chronologicorum applicationes, & detortas textuum explicationes: Item probationes non ex propriis, ſed alienis fontibus depromptas: E contrà, recipiendas & uſurpandas volumus Solas eas, quæ plana ſunt, & ex ipſo materiarum, hiſtoriarum & verborum contextu ultrò ſuppeditantur, aut inde per neceſſariam, vel certè probabilem (nulli tamen alteri jam antè demonſtrato fundamento, ne in minimis quidem contradicentem) conſequentiam extruuntur.*

*Hoc dum fit omnes ſententiæ & opiniones his propoſitionibus contrariæ, ex ipſis fundamentis ſimul etiam refutantur & deſtruuntur.*

# Admonitio Auctoris.

*[NB. Hæ propoſitiones aliquando paulò aliter conſcriptæ, cum quibuſdam fuerunt communicatæ, atq; ſic etiam in aliorum quorundam manus venerunt. Etſi autem hæ præſentes ab illis in univerſali annorum Mundi, nec non in præcipuis particularibus computationibus, non differant: formam tamen convenientiorem & magis locupletem hîc induerunt: atq; in quibuſdam particularioribus (in quibus antè non nihil haſitabamus) numeros non tantum correctiores, ſed omnibus modis abſolutos, qui in poſterum non mutabuntur, nec etiam mutari poterunt, exhibent. Ii ſunt de Anno Natali & primo Anno prædicationis Chriſti, ſimulq; Anno 15. Tiberii. Quæ differentia, quia nec univerſali Annorum Mundi, nec aliorum particularium temporum calculo quicquam detrahit, tantò facilius reſtitui poteſt.*

*Hæc de varietate illa, tàm pro amolienda inconſtantiæ & incertitudinis rerum ſuſpicione, quàm pro aſſerendo profectu & perfectione harum propoſitionum, monenda fuerunt.]*

# TABELLA PRÆCIPVORVM LIMITVM

## Chronologicorum, ex præcedentibus Propoſitionibus, concinnata.

| | Anni ſolares completi. à creatione Mundi. | Ante Chriſtũ natum. | Ante vulgarẽ Epochẽ annorũ Chriſti. | Olympiadum labentium. | Anni labentes | Intervalla Temporum juxta annos ſolares. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| dus creatus - - - - - - - - - - | 0 | 4075 | $4079\frac{3}{4}$ | | | |
| um Diluvii - - - - - - - - - - | 1656 | 2419 | $2423\frac{3}{4}$ | --- | | - - - - - - - 1656 |
| atio Abrahæ, anno ætatis ejus 75. - - - | $2023\frac{1}{2}$ | $2051\frac{1}{2}$ | $2055\frac{3}{4}$ | --- | | - $367\frac{1}{2}$ - - - } 837 |
| us Iſraëlitarum ex Ægypto & primum Paſcha - - - - - - - - - - | $2453\frac{1}{2}$ | $1621\frac{1}{2}$ | $1625\frac{3}{4}$ | --- | | - - - 430 - - |
| am occupatæ Terræ promiſſæ nec non Annorum Sabbatariorum & Iubilæorum - | 2493 | 1582 | $1586\frac{1}{4}$ | --- | | - - $39\frac{1}{2}$ - - - |
| us 22. Samuelis, iſq; decimus Iubilæus complet⁹ | 2983 | 1992 | $1996\frac{1}{4}$ | --- | | - - - - - - - 490 |
| ſio Regni Salomonis in Regnum Iuda & Iſraël | 3083 | 992 | $996\frac{1}{4}$ | --- | | - - - 100 } 490 |
| um olympiadum - - - - - - - - | $3303\frac{3}{4}$ | $771\frac{1}{4}$ | $775\frac{1}{2}$ | 1. | 1 | $220\frac{3}{4}$ |
| um Annorum Nabonaſari - - - - - - | $3332\frac{5}{12}$ | $742\frac{5}{12}$ | $746\frac{5}{8}$ | 1. | 1 | $28\frac{5}{6}$ } 390 |
| ſimi Iubilæi finis: & captivitatis Babylonicæ Initium - - - - - - - - - - | 3473 | 602 | $606\frac{1}{4}$ | 43. | 2 | $140\frac{5}{12}$ |
| ivitas Babylonica primo anno Cyri ſoluta - | 3543 | 532 | $536\frac{1}{4}$ | 60. | 4 | - - 70 } - - 186 |
| i ſecundi, Darii Nothi finis, & 70. hebdomadum Danielis Initium - - - - - | 3659 | 416 | $420\frac{1}{4}$ | 89. | 4 | 116 } [illegible] |
| s IESV CHRISTI natalis. | 4075 | 0 | $4\frac{3}{4}$ | 193. | 4 | 416 - - - - |
| | | poſt Chriſtũ natum. | | | | |
| ha, quod mortem Herodis & Archelai ſucceſſionem proximè ſequutum eſt - - - | $4076\frac{1}{2}$ | $1\frac{1}{2}$ | $2\frac{1}{4}$ | 194. | 1 | - - $1\frac{1}{2}$ - - - |
| ta Annorum Chriſti Epocha quaſi à Chriſto ibi nato - - - - - - - - - - - | $4079\frac{3}{4}$ | $4\frac{1}{4}$ | 0 | 194. | 4 | - - $2\frac{1}{4}$ - - - |
| | | | poſt Epochen An. Chriſti. | | | - - $13\frac{3}{4}$ - - - } 490 |
| ſti Imperatoris obitus annis 56. poſt primum ejus conſulatum adeptum & Tiberii ſucceſſio - - - | 4093 | 18 | $13\frac{2}{3}$ | 198. | 2 | |
| um prædicationis Ioannis Baptiſtæ anno 15. Tiberii labente - - - - - - - - - - - - | $4107\frac{1}{2}$ | $32\frac{1}{2}$ | $28\frac{1}{4}$ | 201. | 4 | - - $14\frac{1}{2}$ - - - |
| um prædicationis Chriſti poſt acceptum à Ioanne Baptiſma - - - - - - - - - - - - - | 4108 | 33 | $28\frac{3}{4}$ | 202. | 1 | - - $0\frac{1}{2}$ - - - |
| um Triceſimi tertii & ultimi Iudæorũ Iubilæi - - - | 4109 | 34 | $29\frac{3}{4}$ | 202. | 2 | - - 1 - - - |
| ſtus mortuus eſt & opus redemptionis complevit - | $4112\frac{1}{2}$ | $37\frac{1}{2}$ | $33\frac{1}{4}$ | 203. | 1 | $3\frac{1}{2}$ } 40 |
| oſolymorum urbs totaque Iudæorum gens, per Titum exciſa, & à DEO abjecta eſt. - - - - | 4149 | 74 | $69\frac{3}{4}$ | 212. | 2 | $36\frac{1}{2}$ |

Hîc inſeratur Tabula (q)

# ALIA TABELLA CHRONOLOGICA, AD PRIMARIOS Harmonicos numeros accommodata.

| | ANNI | | | |
|---|---|---|---|---|
| A Creatione Mundi, ad Translationem Henoch. | 987 | 1656 | $2074\frac{1}{2}$ | 4149 |
| Inde ad Diluvium | 669 | | | |
| Ad Immolationem Iſaac | $418\frac{1}{2}$ | 837 | | |
| Ad Ingreſſum Iſraëlitarum in terram Chanaan | $418\frac{1}{2}$ | | | |
| Ad Translationem Eliæ | 669 | 1656 | $2074\frac{1}{2}$ | |
| Ad ultimam vaſtationem Hieroſolymorum | 987 | | | |

## De numeris Annorum, qui his Tabulis proponuntur, notandum:

I. Prior Numerus, lateris ſiniſtri annos à Creatione Mundi indicat.

II. Alter, in latere dextro Annos ante uſuale initium Annorum Chriſti numerat.

III. Anni intelliguntur ut plurimum completi, præſertim quibus Fractiones apponuntur. Et eo caſu aggegratum Annorum Mundi, & Annorum Chriſti, eorum qui Epochen Chriſti antecedunt, vel exceſſus illorum ſupra hos, ſi numeratio Epochen Chriſti ſequitur, conficit annos $4979\frac{3}{4}$.

IV. Ubi Aggregatum vel reſiduum illud Annorum Mundi, & Chriſti complet annos 4080. ibi anni illi pro labentibus accipiuntur; Tunc autem plerunque vocula Labens vel labente, apponitur.

V. Annorum Fractiones, ubi eas calculi præciſio non poſtulat, omittuntur.

# TABULÆ CHRONOLOGICÆ, PARTICVLARES, BREVES ET CONTRACTÆ AD Hiſtorias Sacræ Scripturæ potiſſimum accommodatæ, & à Creatione Mundi, ad ultimam Hieroſolymorum vaſtationem deductæ.

## I. Creatio Mundi.

| Anni Mundi | | Anni ante Chriſtum. |
|---|---|---|
| 0. | MUndus, & Adam creantur, *tempore Autumnali.* Die 4. creationis ( *qui erat dies 23. Octobris, juxta Annum noſtrum Iulianum.* ) Sol, & Luna ( *in æquinoctio Autumnali, & in Novilunio* ) creanrur. | $4079\frac{3}{4}$. |
| | [ *Hinc ad verum Natalem Chriſti ſunt Annii 4075. Sed ad uſualem Epochen Annorum Chriſti, ſunt Anni* $4079\frac{3}{4}$ *ſolares* ] | |
| | Adam vixit annos 930. | |
| 130. | SETH naſcitur anno patris Adam 130. vixit annos 912. | 3949. |
| 235. | ENOS naſcitur anno patris Seth 105. vixit annos 905. | 3844. |
| 325. | CAINAN naſcitur anno patris Enos 90. vixit annos 910. | 3754. |
| 395. | MALALEEL naſcitur anno patris Caina͂ 70. vixit annos 895. | 3684. |
| 460. | JARED naſcitur anno patris Malaléel. 65. vixit annos 962. | 3619. |
| 622. | HENOCH [*Septimus ab Adam,*] naſcitur anno patris Jared 162. *Mortuus non eſt, ſed translatus in Cœlum vivus*, poſt annos vitæ 365. | 3457. |
| 687. | MATHUSALEM naſcitur anno patris Henoch 65. vixit annos 969. | 3392. |
| 874. | LAMECH naſcitur anno patris Mathuſalem 187. vixit annos 777. | 3205. |
| 930. | Adam Annorum 930. moritur. | 3149. |
| 987. | Henoch annorum 365. transfertur vivus in Cœlum, [ *totidem annis poſt creationem Mundi, quot Elias eodem vivus transfertur ante ultimam Hieroſolymitani Templi deſolationem.* ] | 3092 |

| Anni Mundi. | | Ante Chriſtum Nat. |
|---|---|---|
| 1000. | Annis 15. poſt translationem Henoch, finitur primus Annorum Mundi millenarius. | 3079. |
| 1042. | Seth annorum 912. Moritur. | 3037. |
| 1056. | Noa [*decimus ab Adam*] naſcitur anno patris Lamech 182. vixit annos 950. | 3023. |
| 1140. | Enos annorum 905. moritur. | 2939. |
| 1235. | Cainan annorum 910. moritur. | 2844. |
| 1290. | Malaleel annorum 895. moritur. | 2789. |
| 1422. | Jared annorum 962. moritur. | 2657. |
| (B) Anni 669. 1536. | Noa annorum 480. jubetur Arcam, qua in Diluvio venturo ſervetur, ædificare. Hinc ad Diluvium ſunt Anni 120. | 2543. |
| 1558. | Sem naſc. anno patris Noa 502. vixit annos 600. Ante eum natus eſt Japheth frater major, & poſt eum Cham, frater minor (*uterq; ut videtur biennio*). | 2521. |
| 1651. | Lamech Annorum 777. moritur. | 2428. |
| 1656. | Mathuſalem Annorum 969. moritur, *proximè ante diluvium*. | 2423. |
| 1656. | Anno 600. Noæ (*completo*) Noa cum ſuis ingreditur arcam. (*ceu ſacellum, quo conſervetur*) die 17. Menſis ſecundi (*h. e. juxta annos Iulianos. 2. Decemb.*) die Sabbati. | 2423. |

## II. Diluvii Initium.

| | | |
|---|---|---|
| *1657.* | Anno Diluvii periit omnis caro, præter Noam cum ſuis in Arca. Eo finito, Noa ex Arca egreditur die 27. ſecundi Menſis (*h. e. 1. Decembris anni Iuliani*) die Sabbati, quo etiam die Noa Domino ſacrificium offert. | *2422.* |
| *1658.* | Arphaxat naſc. biennio poſt Diluvium (*inchoatum*) anno patris Sem 100. vixit annos 438. | *2421.* |
| *1693.* | Sale naſc. anno patris Arphaxat 35. vixit annos 435. | *2386.* |
| *1723.* | Eber naſcitur anno patris Sale 30. vixit annos 464. | *2356.* |
| *1757.* | Phaleg naſc. anno patris Eber 34. vixit annos 239. *Circa hæc tempora Turris Babylonica extruitur.* | *2322.* |
| *1787.* | Regu naſc. anno patris Phaleg. 30. vixit annos 239. | *2292.* |
| *1819.* | Sarug naſc. anno patris Regu 32. vixit annos 230. | *2260.* |
| *1849.* | Nahor naſc. anno patris Sarug 30. vixit annos 148. | *2230.* |
| *1878.* | Thare naſc. anno patris Nachor 29. vixit annos 205. | *2201.* |

Abraham

1948. ABRAHAM [*Decimus à Noa*] naſcitur anno patris Thare 70. vixit annos 175. 2131.

1958. SARA, uxor Abrahæ, naſcitur decennio poſt natum Abraham. vixit annos 127. 2121.

1996. Phaleg annorum 239. moritur. 2083.

1997. Nachor annorum 148. moritur. 2082.

2000. Annus Mundi bis milleſimus completur cum 52. ætatis Abrahæ. [ *Eo Anno, vel circiter, exiſtimatur Thare cum filio Abraham & nepote Loth, Filii ſui Haran Filio, totaq́ familia, egreſſus eſſe ex Vr Chaldæorum, atq́ in Haran habitare cœpiſſe*]. 1079$\frac{1}{4}$.

2006. Noa annorum 950. moritur. 2073.

2023$\frac{1}{2}$. Abraham anno ætatis 75. à Domino vocatus, exit ex Haram *tempore Verno*, peregrinaturus in terra Chanaan. Audit *promiſſiones* de Terra illa poſſidenda: De ſeminis ſui multiplicatione, & de SEMINE BENEDICTO. 2055$\frac{3}{4}$.

[*NB. Annis Hactenus, more Scripturæ numeratis quaſi plenè completis, præciſio calculi adhuc unum ſemeſtre apponi poſtulat*].

## III. *Peregrinatio Abrahami ejusq́ poſterorum in terra Chanaan & in Ægypto annis 430.*

2023$\frac{1}{2}$. Abraham ergo 75. annorum cum Loth fratris Haran Filio peregrinari incipit in terra ſibi ſuiſque promiſſa. *Primo novennio peregrinationis: 1. venit in locum* SICHEM, & QUERCUM MORE, *Auditq́ alteram promiſſionem. 2. Tranſit ad montem inter* BETHEL & AI. *3. Sedem ad loca Meridionaliora tansfert. 4. Propter famem deſcendit in* ÆGYPTUM. Conjugem Saram appellat ſororem. [ÆGYPTIIS PLACATUS, PRÆTER RELIGIONEM, ETIAM NUMERORUM ET SYDERUM SCIENTIAM, EX SCHOLA CHALDÆORUM ALLATAM, COMMUNICAT]. *5. Revertitur ex Aegypto cum Loth, in locum inter* BETHEL & AI. *6. Loth ſecedit in Regionem Sodomorum. Abraham aliam promiſſionem audit. 7. Abraham venit in* MAMBRE. *8. Loth captivus abductus, liberatur à patruo Abraham. Huic redeunti Melchiſedech Rex Salem, & Sacerdos DEI altiſſimi, profert panem & vinum.* 2055$\frac{3}{4}$.

2026. Regu annorum 239. Moritur. 2053.

| Anni Mundi. | | Ante Ch. Nat. |
|---|---|---|
| | *num, Eiq; benedicit, atq; ab eo Decimas accipit. 9 Abraham novam promiſſionem accipit, de ſeminis ſui multiplicatione ejusq; afflictione poſt 400. annos finienda. &c.* | |
| 2033. | Abraham anno 10 peregrinationis in terra Chanaan, ducit Agar Ancillam uxorem.. | 2046. |
| 2034. | Iſmaël naſcitur ex Agar anno ætat. patris Abraham 86. vixit annos 137. | 2045. |
| 2047½. | Circumciſio inſtituitur, anno 99. ætatis Abrahæ. Eidem Filius Iſaac promittitur. Idemque naſciturus repromittitur. Sodoma & Gomorrha igne Cœleſti, Loth tamen per Angelos prius educto, evertuntur. Abraham ſedem in Gerar transfert. Conjugem Saram rurſus vocat ſororem. | 2031¾. |
| 2048½. | Isaac naſcitur anno patris Abraham *100.* & matris Saræ *90.* vixit 180. annnos.. | 2030¾. |
| 2049. | Sarug annorum 230. moritur. | 2030.. |
| | Poſt hæc Agar, ejusq; Filius Iſmaël, qui [ *primogenitura nomine ſuperbiens* ] Iſaacum ludibrio habebat, exhæredes facti è domo Abrahæ ejiciuntur. | |
| (E.) Anni 26. 2074½. | *Anno ætatis Iſaac 26. Medietas Mundi, ſive temporis, à creatione ad ultimam Hieroſolymorum vaſtationem, item Medietas temporis à Diluvio incohato, ad initium occupata terra promiſſa, praciſè prateriit.* Eo tempore Abraham hunc ſuum vnigenitum, Dilectumque Filium Iſaac, mandato Domini, ipſum tentantis, in monte Moria immolare vult. [ *Hinc ad Chriſtum incarnatum, ſunt anni 2000. minus quadrante, & ad Ioh. Baptiſt. Chriſti pracurſorem natum, Anni 2000. atq; ad ipſum Chriſtum natum Anni 2000½. ſed ad ultimam Hieroſolymorum, Templiq; poſt eodem monte Moria extructi vaſtationem, Anni 2074½.* | 2004¾. |
| 2074½. | Iſaac immolandus patri Abrahæ à Domino redditur, eiq; promiſſio de ſeminis multiplicatione, item de *Semine Benedicto* repetitur.. | 2004¾. |
| 2083. | Thare annorum 205. moritur in haran.. | 1996. |
| (F.) Anni 34. 2085. | Sara annorum 127. moritur. | 1994. |
| 2088. | Iſaac natus Annos 40. ducit Rebeccam uxorem. Poſt iſta, Abra- | 1991. |

| Anni Mundi. | | Ante Chr. Nat. |
|---|---|---|
| | Abraham aliam ducit uxorem Kethuram, & ex ea alios ſex Filios gignit. | |
| 2096. | Arphaxat annorum 438. moritur. | 1983. |
| $2108\frac{1}{2}$. | Eſau & JACOB Naſcuntur anno patris Iſaac 60. Jacob vixit annos 147. | $1907\frac{3}{4}$. |
| 2123. | Abraham annorum 175 moritur. Quo mortuo Iſaac à Domino Benedictionem accepit. | 1956. |
| 2126. | Sale Annorum 433. moritur. | 1953. |
| | Poſt hæc: Eſau vendit fratri Jacobo jus primogenituræ, jure ſeu pulmento lenticulari. | |
| | Orta fame Iſaac in terram philiſtinorum proficiſcitur. Audit novam promiſſionem à Domino. Uxorem Rebeccam vocat ſororem. Init fœdus cum Abimelech philiſtinorum Rege. | |
| 2148. | Eſau annorum 40. ducit duas uxores Hethæas. Eæ fuerunt amaritudo Spiritus Iſaaco & Rebeccæ. | 1931. |
| 2158. | Sem annorum 600. moritur. | 1921. |
| 2171. | Iſmaël annorum 137. moritur. | 1908. |
| | Jacob ſubornante matre (*Diſponente Domino*) fratri Eſau benedictionem paternam præripit. | |
| $2185\frac{1}{2}$. | Jacob annorum 77. fugit inſidias fratris Eſau. Vovet votum Domino in Bethel. Venit in Haram Meſopotamiæ Syriæ. | $1893\frac{3}{4}$. |
| $2185\frac{1}{2}$. | Jacob in Meſopotamia Labano avunculo ſuo ſervire incipit annos 7. pro Rahele filiâ ejus. | $1893\frac{3}{4}$. |
| 2187. | Eber annorum 464. moritur. | 1892. |
| $2192\frac{2}{3}$. | Jacobo completa ſeptennii ſervitute; pro Rahele nuptui datur Lea ſenior ejus ſoror. Datur eidem etiam Rahel, hac conditione, ut pro ea aliud ſeptennium ſerviat. | $1886\frac{3}{4}$. |
| $2192\frac{2}{3}$. | Rahel ſe ſterilem ſentiens (*duobus menſibus poſt nuptias. Circiter*) Bilham ancillam ſuam, prolis deſiderio, Jacobo dat uxorem, Filios ejus adoptatura [*exemplo Saræ, ut ſi non proprio partu, attamen adoptione mater fiat*]. | $1886\frac{1}{4}$. |
| $2193\frac{1}{4}$. | RUBEN progenitus Filius Jacobi, naſcitur ex Lea. | 1886. |

| | Anni Mundi. | | Ante Chr. Nat. |
|---|---|---|---|
| | $2193\frac{5}{12}$. | DAN, Filius Jacobi, naſc. ex Bilha, adoptatur à Rahele. | $1885\frac{2}{3}$. |
| | $2194\frac{1}{4}$. | NEPHTALI, Filius Jacob, naſcitur ex Bilha, adoptatur à Rahele [*Hoc nato Rahel, quod vehementi colluctatione DEI, Sorori non modò adæquata ſit, ſed fœcunditatis nomine ei* (ISTO SECUNDO PARTU EAM PRÆVENIENS) *prævaluerit, ſibi congratulans exultat*]. | $1885$. |
| (H) Anni 14. Sive *bis* 7. | $2194\frac{1}{2}$. | SIMEON. Filius Iacobi naſcitur ex Lea. | $1884\frac{11}{12}$. |
| | $2195\frac{1}{6}$ | LEVI, Filius Iacobi, naſcitur ex Lea. *Decimus ab Abraham* (IPSO ABRAHAMO, ISMAELE, ET ESAU ANNUMERATIS, FILIIS VERO EX KETHURA NATIS EXCLUSIS) *atq; jam olim. ante 164. annos, dum in lumbis ejus adhuc eſſet, decimatus* naſcitur anno 10. ſervitutis Iacobi [*fere completo*] vixit 137. annos. | $1884\frac{1}{12}$. |
| | 2196. | JUDA Filius Jacobi, naſcitur ex Lea. Lea ad tempus parere deſinit. | $1883\frac{1}{4}$. |
| | $2196\frac{1}{2}$. | Leà [*numeroſiore ſobole nondum contenta*] ancillam Silpam Jacobo marito conjugio jungit, Filios ejus, ſororis exemplo adoptatura. | $1882\frac{3}{4}$. |
| | $2196\frac{2}{3}$. | Lea tempore Meſſis triticeæ, ſeu verno, redimit ſibi maritum Jacobum à ſorore, mandragoris primo geniti ſui Filii Ruben. | $1882\frac{7}{12}$. |
| | $2197\frac{1}{4}$. | GAD Filius Iacobi, naſcitur ex Silpa, adoptatur à Lea. | 1882. |
| | $2197\frac{5}{12}$. | ISASCHAR Filius Iacobi, naſcitur ex Lea *poſtquam annum cum dodrante circiter, à proximo partu quievit.* | $1881\frac{5}{6}$. |
| | $2198\frac{1}{6}$. | ASSER, Filius Iacobi naſcitur ex Silpa adoptatur à Lea. | $1881\frac{1}{2}$. |
| | $2198\frac{1}{4}$. | ZABULON, Filius } Iacobi, naſcuntur ex Lea. | 1881. |
| | $2199\frac{1}{4}$. | DINA, Filia } Iacobi, naſcuntur ex Lea. | 1880. |
| | $2199\frac{1}{2}$. | IOSEPH Filius Iacobi, naſcitur ex Rahel, ultimus inter. 11. fratres, anno ultimo poſterioris Septennalis ſervitutis finito. vixit annos 110. | $1879\frac{3}{4}$. |
| (I.) Anni 6. | $2199\frac{1}{2}$. | Iacob facta pactione cum ſocero, incipit ſervire pro gregibus adhuc 6. annos. | $1879\frac{3}{4}$. |
| | $2205\frac{1}{2}$. | Iacob, poſtquam 20. annos ſocero ſerviit, Domino mandante, revertitur in terram Canaan. | $1873\frac{3}{4}$. |
| | $2205\frac{1}{2}$. | Iacob ex Meſopotamia rediens, divinitus à ſoceri injuriis, hoſtiliter eum perſequi volentis, liberatur. A Domino cogno- | $1873\frac{3}{4}$. |

| Anni Mundi. | | Ante Chr. Nat. |
|---|---|---|
| | cognominatur Iſraël. Reconciliatur Fratri Eſau. Habitat in Suchot. | |
| | Poſt venit in Salem, urbem Sichemæorum. | |
| 2212. | Dina, facta nubilis (*non tamen ultra 13. annos habens*) à Sichem Filio Hemor, principis ejus Regionis, rapitur. Simeon & Levi occiſione cedunt Sichemitas [*propter quod factum poſteà à patre exhæreditantur*]. | 1867. circiter. |
| 2213. | Iacob proficiſcitur in Bethel. Solvit votum ante 27. annos circiter promiſſum. Dominus ei nomen Iſraëlis repetit. | 1866. circiter. |
| 2214. | BENIAMIN Filius Iacobi, naſcitur ex Rahele. Rahel in partu moritur. Sepelitur in Bethel, quæ eſt Bethleem. Iacob figit tentoria trans Turrim Eder. Ruben inceſtu cum Bilha, ſua Noverca, ſe polluit [*cujus gratia omni primogenituræ jure & privilegio privatur*]. Iacob ad patrem Iſaac in Mambre, quæ eſt Hebron, revertitur. | 1865. circiter. |
| 2216. | Ioſeph (*oblectamentum ſenii patris*) annorum 17. paſcit greges, venditur à fratribus in Ægyptum. | 1863. |
| 2224. | PEREZ & SERAH, Filii Iuda, naſcuntur ex Thamar nuru ejus, [*prolis ex ſanctorum familia ſuſcipiendæ avidiſſimâ, & per ſummum nefas, cujus per fas compos fieri non poterat, (EA ENIM PRÆTER ÆQUUM FUERAT DEFRAUDATA) tentante*]. | 1855. circiter. |
| 2227. | Ioſeph in carcere (in quem innocens, calumniis herilis conjugis fuerat conjectus, & in eo aliquamdiu detentus) Somnia interpretatur. | 1852. |
| 2228. | Iſaac annorum 180. moritur. | 1851. |
| $2229\frac{1}{2}$. | Ioſeph annorum *30.* interpretatur Pharaoni geminum Somnium, & ex eis 7. annos fertiliſſimos, & 7. annos duriſſimos fame, mox adventuros prædicit. Liberatus ex carcere Princeps Ægypti, & ſecundus à Rege conſtituitur. | $1849\frac{3}{4}$. |
| | Sequuntur 7. Anni fertiles. Interea Ioſepho naſcuntur Manaſſe & Ephraim Filii. | |
| 2235. | KAHATH Filius Levi, & fratres ejus Gerſon & Merari naſcuntur. Kahath vixit annos 133. [*Natus in terra Chanaan, moritur in Aegypto.*] | 1844. circiter. |
| 2237. | Primo anno famis, Filii Iſraël in Ægypto à Ioſepho fratre incognito, frumenta emunt. | 1843. labente. |
| | HEZRON & HAMUL Filii Perez (*qui & ipſi in Aegyptum tranſlati ſunt*) Hoc Anno vel circiter nati ſunt. | |

Secundo

| | Anni Mundi. | | Ante Chr. Nat. |
|---|---|---|---|
| | 2238. | Secundo anno famis, Ioſeph ſe fratribus patefacit, invitat ad ſe Patrem cum familia omni in Ægyptum. | 1842. *labente.* |
| | 2238$\frac{1}{2}$ | Iacob in Ægyptum (Domino comprobante) deſcendere feſtinat. *Erat tum annorum.130.* | 1840$\frac{3}{4}$. |
| | 2238$\frac{1}{2}$. | Commigratio Iſraëlis ejusq; Filiorum in Ægyptum. | 1840$\frac{3}{4}$. |
| (L) | 2255. | Iacob annorum 147. cum vixiſſet in Ægypto annos 17. moritur, ſepelitur in terra Canaan. | 1824. |
| Anni 71. | 2302. | AMRAM Filius Kahath, Pater Moſis & Aaron, naſcitur, vixit anos 137. [*natus & mortuus in Aegypto*]. | 1778. *circiter.* |
| | 2309$\frac{1}{2}$. | Ioſeph annorum *110.* moritur [*fertur inter omnes ſuos fratres primus eſſe mortuus*]. | 1769$\frac{3}{4}$. |
| | 2309$\frac{1}{2}$. | Ioſepho mortuo: | 1769$\frac{3}{4}$. |
| | 2320. | Ephraimitæ, Ioſephi nepotes, in terram Chanaan irrumpentes, eam ſubjugare conantur. Sed à Gathitis cæduntur. *Ephraim eorum Pater, propter hoc Domus ſua malum, luxit multo tempore.* | 1759. *circiter.* |
| | 2328. | IOCHEBET Filia Levi, naſcitur. *Fit uxor Amrami, & ex eo mater Moſis & Aaronis.* | 1751. *circiter.* |
| | 2332. | Levi annorum 137. moritur [*fertur inter omnes ſuos fratres ultimus eſſe mortuus*]. | 1747. |
| | | Filii Iſraël, antea, interea, & poſtea, multiplicantur: ſurgit alius Pharao Rex Ægypti; beneficiorum Ioſephi Ignarus (*vel ingratus & immemor*) Iſraëlitas doloſè, crudeliter & Tyrannicè exterminare ſatagens. | |
| (M) Anni 64. | 2365. | MIRIAM, ſoror Moſis, Naſcitur eo (*ut videtur*) tempore, quo Pharao Hebræos amaritudine laborum emaceratos extingui poſſe ſperabat. Vixit annos 127. circiter. | 1714. *circiter.* |
| | 2368. | Kahath Filius Levi, avus Moſis, in terra Canaan natus, annorum 133. moritur in Ægypto. | 1711. *circiter.* |
| | 2370. | AARON, Filius Amram, frater Moſis, naſcitur, quo tempore Pharao omnes Hebræorum pueros ab obſtetricibus in partu necari mandarat. Vixit annos 133. [*Natus in Aegypto, moritur in aditu terræ promiſſæ*]. | 1709. |
| | 2373$\frac{1}{2}$. | Moſes, Filius Amram, naſcitur quo tempore Pharao omnes Hebræorum pueros in profluentem [*Nilum*] abjici præceperat. | 1705$\frac{3}{4}$. |

ceperat. Abjectus & ipſe, à Pharaonis Filia ex aquis extrahitur, vixit annos 120. [*Natus in Aegypto, moritur in terra trans Iordanem (patribus quidem à DEO antè expreſſe non promiſſa, ſed promiſſæ quaſi auctuarii nomine ſuperaddita*] ad poſſidendum occupata.

---

2373$\frac{1}{4}$. Moſes ex aquis ſervatus, educatur in aula Regia Pharaonis, Eruditur in omni Sapientia Ægyptiorum. Fit potens dictis & factis. [*Adultus dux exercitus factus, Aethiopes, qui Aegyptios vicerant, magna virtute ſtravit, & ex Aegypto expulit*]. 1705$\frac{3}{4}$.

(N.) Anni 40.

2401. JOSUA naſcitur, vixit annos 110. [*Natus in Aegypto, moritur in terra Canaan, patribus à Domino olim promiſſa, & tùm poſſeſſa*]. 1678.

2413$\frac{1}{4}$. Moſes annorum 40. deſerens Aulam, ad ſuos redit. Heroico Spiritu Liberatoris Munus adoritur. At ab Iſraëlitis, nec tempus liberationis, nec Liberatorem agnoſcere volentibus, repellitur. Ideo liberatio in alios 40. annos ſuſpenditur. [*A primo Abraha in terram promiſſam ingreſſu, huc uſq; ſunt Anni 390. Reſtant ad Liberationem propter ingratitudinem divinitùs prolongatam*] anni 40. 1665$\frac{3}{4}$.

---

2413$\frac{1}{4}$. Moſes ab Iſraëlitis repulſus, & à Pharaone quæſitus, profugit in Midian. 1665$\frac{3}{4}$.

2415. Caleb Filius Jephunne, naſcitur. [*Natus in Aegypto, mortuus in terra promiſſa & occupata*]. 1664.

Interea Aaroni naſcuntur in Ægypto Filii, Nadab, Abiu, Eleaſar & Ithamar. Item Eleaſaro naſcitur Pinehas. (*Nam & is inter eos, qui ex Aegypto egreſſi ſunt numeratur*) Moſi quoque in Midian ex Zipora Filia Raguelis vel Jethro Sacerdotis, naſcuntur Gerſon & Elieſer Filii.

Pharao, qui Moſi inſidiatus fuerat, moritur.

Iſraëlitæ ſub operibus gementes ad DEUM vociferantur.

2439. Amram pater Moſis, annorum 137. moritur. [*In Aegypto natus & Mortuus*]. 1640. circiter.

2453$\frac{3}{4}$. Moſes annorum 80. à Domino ad liberandos Iſraëlitas ex Ægypto, unà cum Aarone fratre ad Pharaonem Regem 1625$\frac{1}{4}$.

Ægypti ablegatur. Per quem Dominus, editis multis ſtupendis miraculis, eos manu potenti, ex dura ſervitute liberat, & ex Ægypto educit tempore verno. [*à prima Abraha peregrinatione in terram Canaan, huc uſq; ſunt anni 430. A Nato autem Iſaac, anni 405.*]

## *IV. Egreſſio Iſraëlitarum ex Ægypto in Deſertum.*

$2453\frac{1}{2}$. Iſraelitæ mandante Domino, *die 14. Menſis Abib, vel Niſan* (QUI ANTEA SEPTIMUS, TUM PRIMUS MENSIS DICI CÆPIT) [qui erat dies 5. Aprilis juxta annos Julianos] Sabbatho ad Veſperam, immolarunt primum paſcha. Nocte ſequente, omne primogenitum in tota Ægypto à Domino occiditur. Iſraelitæ mane facto, ex Ægypto liberati egrediuntur. Tranſeunt Mare rubrum ſiccis pedibus. Pharao eos cum 600. curribus electis & omnibus curribus Ægypti [*item cum 50000. equitibus & 20000. peditibus armatis*] perſequitur, ſed cum univerſo exercitu in mari demergitur. $1625\frac{3}{4}$.

Menſe ſecundo deficientibus victualibus, Dominus eos Manna, cælitùs data, paſcere incipit. Quo pane totos 40. annos veſcuntur.

Die 4. Menſis tertii, Sabbato [*die 24. Maij, juxta Iulianum annum retrò computatum*] die ab exitu ex Ægypto quinquageſimo, LEX DECALOGI, Deo ipſo de monte Sinai eam promulgante, lata eſt.

Primo hoc ab egreſſu anno Tabernaculum in deſerto Sinai extruitur.

(P.) Anni $39\frac{1}{2}$. 2455. Anno ſecundo ab exitu, Iſraelitæ in Cadesbarnea, ab Exploratoribus deterriti, in terram promiſſam non tantum ingredi formidant, ſed ſeditioſo adverſus Dominum murmure refractariè detrectant. E contrà, ubi Dominum iſto murmure graviter offenſum intelligunt, mutata ſententiâ, in eam, contra Domini mandatum, pertinaciter irruere volunt. Clade autem à populo terræ accepta, & dura Domini ſententia audita (*vid. neminem ipſorum, ultra* $1624\frac{1}{4}$.

*ultra 20. annos natum, terram illam bonam eſſe viſurum, ſed eis univerſis intra 40 annos in deſerto eſſe pereundum. Quam ſententiam; nec Moſes, continuis per totos 40. dies, coràm Domino tum procumbens, precibus retractare valuit*) diem 10. Menſis ſeptimi (*13. Octobr.*) totum, Ineffabili, at vano luctu (*præ mærore à cibo & potu abſtinentes*) conſumunt. Pòſt, die 11. in deſertum redeunt, ibiq; vagabundi, uſq; dum illi cuncti intereunt, oberrant annis $37\frac{1}{2}$.

$2492\frac{1}{2}$. Anni 40. ab exitu, principio, Iſraelitæ verſus terram promiſſam proficiſci incipientes, veniunt in Cades Zin. $1586\frac{3}{4}$.

Menſe primo, Miriam ſoror Moſis annorum 127. circiter, moritur.

Menſe quinto, Aaron annorum 123. moritur [*quaſi præ foribus & in veſtibulo terræ promiſſæ, ad quam ingenti deſiderio tendebat*].

2493. Iſraelitæ, jam nunc terram trans Jordanem duce Moſe invadere incipiunt. $1586\frac{1}{4}$.

## V. *Ingreſſus Iſraëlitarum in terram Sanctam.*

2493. Ultimo 40 annorum ſemeſtri, Iſraëlitæ terram trans Jordanem occupant. [*à Domino nunquam promiſſam, ſed auctuarii nomine datam*] *Ab hoc tempore primus Iſraëlitarum in terram Sanctam ingreſſus incipit. Hinc ad ultimam populi Iſraëlitici exciſionem, ſunt anni 1656.* $1586\frac{3}{4}$.

$2493\frac{1}{2}$. Moſes annorum 120. menſe ultimo anni 40. ab Exitu ex Ægypto, moritur [*terram promiſſam, Domino monſtrante, vidit, ſed in eam non intravit: attamen in terra non promiſſa, veruntamen jam occupata, obiit* $1585\frac{3}{4}$.

(Q.) Anni 18. Iſraelitæ, mortuo Moſe, Duce Joſua, Iordanem ſiccis pedibus tranſeunt. Terram Chanaan. [*Abrahamo ante 470. annos promiſſam*] occupant. Eam Ioſua ſorte diſtribuit.

2500. Ioſua anno 7. ab Ingreſſu, *primo Sabbatario*, prima comitia provincialia agit. *Caleb tum eſt annorum 85.* 1580. *labente.*

2511. Ioſua annorum 110. cum poſt mortem Moſis Iſraelitis $1564\frac{1}{4}$.

| Anni Mundi. | | Ante Chr. Nat. |
| --- | --- | --- |
| | præfuiſſet annis $17\frac{1}{2}$. circiter, moritur. [in terra patribus promiſſa, & à ſe jam occupata.] | |
| 2511. (R.) Anni 20. | Mortuo Ioſua, Seniores populi, Iſraëlitis præ ſunt. Hi longo tempore poſt mortem Ioſuæ (annis videlicet 20. circiter) ſuper ſunt & populum, ut in via Domini permaneant, retinent; Senioribus quoq; mortuis, Iſraelitæ Idololatria ſe polluunt, unde à Domino ſervituti vicinarum gentium ſubjiciuntur. | $1568\frac{1}{4}$. |
| 2531. | Prima ſervitus cœpit poſt mortem Ioſuæ annis 20. [*Igitur gubernatio Ioſua & ſeniorum, poſt mortem Moſis, usq; ad primam ſervitutem complectitur annos* $37\frac{1}{2}$.] | $1548\frac{1}{4}$. |
| 2531. | Iſraelitæ, cùm à Domino ad Baalim deficerent, traduntur à Domino Regi Meſopotamiæ Cuſan. Riſathaim, annis 8. | $1548\frac{1}{4}$. |
| 2539. | Eos ad Dominum redeuntes, Athniel filius Kenas, Dux, & deinceps Iudex liberat. Et quieſcit terra (*populo, ſuo jure, & ab externis bellis immuni vivente*) annis 40. | 1540. |
| 2542. | IUBILÆUS ANNUS PRIMUS Iſraelitici populi in terra Chanaan. | 1538. *labente.* |
| $2565\frac{1}{2}$. | Tribus Dan, tandem ſua ſibi per ſortem aſſignata terra quoque potitur [*Exitus Iſraëlitarum ex Aegypto tum demum vere finitur: poſt adventum Abrahæ in terram Chanaan annis 542. poſt initium egreſſus Iſraëlitarum ex Aegypto annis 112. Ab initio occupata terra ſancta annis* $72\frac{1}{2}$. *Hinc ad extructionem Templi Salomonis numerantur anni 480.*] | $1513\frac{3}{4}$. |
| 2579. | Iſraelitæ ſervire coguntur Regi Moabitarum Eglon, annis 18. | 1500. |
| 2591. | IUBILÆUS SECUNDUS. | 1489. *labens.* |
| 2597. | Iſraelitæ per Ehud (ſive Aod.) ſervatorem & Iudicem liberantur. Sub hoc, & ſub Sangur Iudicibus terra quieſcit annis 80. | 1482. |
| (S.) Anni 390. 2640. | IUBILÆUS TERTIUS. | 1440. *labens.* |
| | *Hiſtoriam Benjamitarum, bello civili penè ad internecionem, intra hos 80. annos accidiſſe, veriſimilimè putatur, Pinehas, qui in Aegypto natus fuerat, adhuc vivo & terra ab externis bellis* | |

| Anni Mundi. | | Ante Chr. Nat. |
|---|---|---|
| | *bellis quieſcente, nulloq; vel Rege, vel Iudice præſidente; Haud dubie poſt mortem Ehud, antequam Sangur ſuccederet.* | |
| 2677. | Iſraelitæ ſerviunt Regi Chanaan, Iabin, annis 20. | 1402. |
| 2689. | JUBILÆUS QUARTUS. | 1391 labens. |
| 2697. | Poſt Libertatem per Deboram Prophetiſſam, & Barac Iudicem, Jſraelitis reſtitutam terra quieſcit annis 40. | 1382. |
| 2737. | Iſraelitæ ſerviunt Midianitis annis 7. | 1342. |
| 2738. | JUBILÆUS QUINTUS. | 1342 labens. |
| 2744. | GEDEON liberat Iſraelitas, eoſq; Iudicat. Terra quieſcit annis 40. | 1335. |
| 2784. | Hunc ſequitur Abimelech, Regem ſe faciens, annis 3. [*Tyrannus potius quàm Iudex dicendus*]. | 1295. |
| 2787. | JUBILÆUS SEXTUS. | 1293 labens. |
| 2787. | Sub Thola Iudice, Terra quieſcit annis 23. | 1292. |
| 2810. | Sub Iair Iudice, annis 22. | 1263. |
| 2832. | Poſt hunc Iſraelitæ ſerviunt Philiſtæis annis 18. | 1247. |
| 2836. | JUBILÆUS SEPTIMUS. | 1244 labens. |
| 2850. | IEPHTHE Iſraelitas liberat, eoſq; judicat annis 6. [*Ab initio occupatæ terræ ad Iephthen ſunt anni 357. Iephthe 300. dicit, eo numero tanquam ad præſcriptionem ſuperabundè ſufficiente; contentus*]. | 1229. |
| 2856. | Hunc ſequitur Abeſan, ſive Ebzan, de Bethleem Iudex annis 7. [*Nonnullis hic Booz, eſſe putatur*] | 1223. |
| 2863. | Poſt hunc Elon, Iudex annis 10. ſuccedit. | 1216. |
| 2873. | Hunc excipit Abdon, Iudex, annis 8. | 1206. |
| 2881. | Iſraelitæ Philiſtæis ſerviunt annis 40. | 1198. |
| 2885. | IUBILÆUS OCTAVUS. | 1195 labens. |
| $2897\frac{3}{4}$. | *Troja capta eſt; annis 430. ante urbem Romam conditam:* | $1181\frac{1}{2}$. |
| 2901. | Intra illos 40. ſervitutis Iſraelitarum ſub Philiſtæis annos, | 1178. |
| 2921. | SAMSON poſterioribus 20. annis Iſraelitas judicavit, quos tandem ex illorum poteſtate moriens potiùs, quàm vivus liberavit. | $1158\frac{3}{4}$. |

| | | | |
|---|---|---|---|
| (T.) Anni 40. | 2921. | Iſraelitis per mortem Samſonis à Iugo Philiſtæorum liberatis: Terra ſub Eli ſummo Secerdote & Iudice, quieſcit annis 40. | 1158. |
| | 2934. | JUBILÆUS NONUS. | 1146 labens. |

| | Anni Mundi. | | Anni Chr. Nat. |
|---|---|---|---|
| | 2961. | Philiſtæi Iſraelitis rurſus prævalent : Arcam Domini capiunt : Eli annorum 98. fracta cervice moritur. Ei ſuccedit Samuel Propheta. | 1118$\frac{2}{4}$. |
| (V.) Anni 22. | 2961. | Arca Domini capta, & Eli mortuo, Samuel quaſi in interregno (populo Iſraelitico Philiſtæis, nec omnino ſerviente, nec prorſus libero) Iudex eſſe incipit. | 1118$\frac{2}{4}$. |
| | 2961$\frac{1}{2}$. | Arcam Domini Philiſtæi poſt 7. *Menſes*, magna cum ſui & ſuorum Ignominia, clade reducunt. Ea reddita, requieſcit in Kiriath Iearim annis 20. *(vel perpenſis circumſtantiis annis 20$\frac{1}{2}$).* | 1117$\frac{3}{4}$. |
| | 2983. | IUBILÆUS DECIMUS. Hujus Iubilæi initio, h. e. à 21. annis poſt mortem Eli completis, & anno 22. Samuelis incipiente, Philiſtæi Iſraëlitas, Comitia celebrantes, ex improviſo invadere, & excidere, volunt. Iſraelitæ verò victoria à Domino precibus Samuelis impetrata, omne tàm Philiſtæorum, quàm aliarum gentium jugum excutiunt, lætumq; Iubilæum agunt. | 1097. *labente.* |
| (X.) Anni 6. | 2983. | Samuel Propheta à populo de novo confirmatus Iudex, gubernat Iſraelitas ad dies vitæ, *ſolus quidem (præter præcedentes 22.) annos 6. reliquos 10. vel. 11. circiter, cum Saule Rege.* | 1096. |
| | 2989. | Samuele ſuos Filios ſubſtituente, qui degeneres veſtigia paterna non æmulantur : Iſraelitæ Ariſtocratia pertæſi, Regem Monarcham poſtulant. Datur eis Saul Rex ex tribu Benjamin. | 1090. |
| (Y.) Anni 32$\frac{3}{4}$. | 2990. | SAUL à Domino per Samuelem conſtituitur primus Rex ſuper Iſrael, *Anno Sabbathario.* | 1090. *labente.* |
| | 2991. | Saul anno ſecundo Regni labente, ſecunda vice propter inobedientiam à Domino rejicitur. | 1089. *labente.* |
| | 2992. | DAVID anno tertio Regni Saulis, mandante Domino, à Samuele ungitur Rex ſuper Iſrael. [Hinc ad ſeditionem Filii ejus Abſolomi, ſunt anni 40]. | 1088. *labente.* |
| | 2993. | David in Monomachia occidit Goliathum. | 1087. *labente.* |

Saul

| Anni Mundi. | | Ante Chr. Nat. |
|---|---|---|
| | Saul Davidem ferè totum Decennium perſequitur. | 1079 circiter. |
| 3000. | SAMUEL moritur. | |
| $3002\frac{1}{2}$. | Saul in prælio cadens, ſuo ſeipſum Gladio necat [*Gubernatio Samuelis & Saulis ſimul fuit in πλάτει annorum. 40. ſed diligenter numerata annorum $41\frac{1}{2}$.*] | $1076\frac{1}{4}$. |
| $3002\frac{1}{2}$. (Z.) Anni $7\frac{1}{2}$: | David annorum 30. à Tribu Iuda, ex qua oriundus fuit, Rex confirmatur. Isboſeth verò filius Saulis, annorum 40. à Duce Abner conſtituitur Rex ſuper reliquis undecim tribubus Iſraël. David fit Rex ſecundus. [*Isboſeth Rex quidem tertius, attamen quia nec à Domino comprobatus fuit, nec in Regno manſit, inter Reges Iſraëlis, aquè ac Abſolom aut Adonias, non numeratur*]. | $1076\frac{1}{4}$. |
| $3004\frac{1}{2}$. | David in Hebron biennio pacificè regnat. Poſtea longa inter domum David & Saulis concertatio exoritur. | $1074\frac{1}{4}$. |
| 3010. | Abner & Isboſeth neſcio Davide, nefariè & doloſè occiduntur. | 1069. |
| 3011. | David Abnero & Isboſeth occiſis, Rex ſuper totum Iſraël conſtituitur, Anno Sabbathario, natus annos $37\frac{1}{2}$. | 1069. labente. |
| | David mox primo Regni ſuper totum Iſraël anno, capit Hieroſolymam. Et transfert eò ſedem Regiam, & Arcam Domini. | |
| | David poſtquam ſibi Hieroſolymis Domum Regiam extruxit, proponit etiam Domum Domini ædificare velle. Sed per Nathan Prophetam à Domino prohibetur. Audit promiſſionem de *Meſſia* ex ſemine ſuo naſcituro. Domat interim omnes vicinas gentes. | |
| 3021. | David contra Ammonitas bellum gerit, propter violatos Legatos pacificè miſſos. | 1059. labente. |
| 3022. | Anno, ſequente, dum id bellum continuatur, David ad ulterium committit cum Bathſeba. Maritoq. ejus Uria Hethita doloſè interfecto, Bathſebam ducit uxorem [re quaſi benè geſta & nemine eam animadvertente. Erat tum annorum 49.] | 1058. labente. |
| 3023. | Filius ex Bathſeba naſcitur. Factum id à Domino per Nathan repræhenditur, & pænæ denunciantur. Filius natus | 1057. labente. |

| | Anni Mundi. | | Ante Chr. Nat. |
|---|---|---|---|
| | | natus moritur. Eodem anno Thamar Filia, Abſolomi uterinâ ſoror, Davidi Hieroſolymis nata, ab Ammone fratre violatur. David propter inceſtum iraſcitur [*Sed proprii facti commiſſi conſcius, & pœna à Domino prædicta memor, punire non audet*]. | |
| | 3025. | Ammonem Abſolon frater poſt biennium obtruncat. Ipſe Abſolon triennium apud ſocerum exulat. | 1055. *labente.* |
| (a.) Anni | 3026. | Salomon, Filius ex Bathſeba quartus naſcitur. | 1054. *labente.* |
| $32\frac{3}{4}$. | 3028. | Abſolomo reditus in Hieroſolymam à patre permittitur. | 1052. *labente.* |
| | 3030. | Patri Davidi Abſolom per omnia reconciliatur. | 1050. *labente.* |
| | 3032. | JUBILÆUS UNDECIMUS [*Annus à prima Davidis unctione quadrageſimus*] Abſolom ſeditione contra Patrem mota, eum Regno pellit, ſed ipſe miſerè perit. David reſtituitur. | 1048. *labente.* |
| | 3036. | Quarto anno fames præcedentis triennii, morte filiorum ſeu nepotum Saulis expiatur. Eodem Anno David faſtu quodam ultrà quàm pium erat tumidior, numerat populum: Inter pœnas à Domino propterea propoſitas David, præ triennii ſecuturi fame (quo cum quadriennio præcedenti compleretur totum ſeptennium continuæ famis) & præ trimeſtri hoſtili perſequutione, eligit triduanam peſtem. Eâ extinguuntur 70000. viri. Locus extruendi Templi, huc uſq; per 582. annos ignoratus, Davidi in monte Moria per Angelum, qui populum cedebat, monſtratur: annis $961\frac{1}{2}$ poſtquam in eodẽ monte Abraham Filium Iſaac Immolare volebat. | 1044. *labente.* |
| | | David poſtea materialia ad Extructionem Templi procurat. | |
| | | Reformat & conſtituit ſtatum Eccleſiaſticum & Politicum. | |
| | 3039. | Adonias Filius Davidis Regnum invadit. Salutatur Rex. Sed David eo detruſo Salomonem declarat, & primò ungit Regem ſibi ſucceſſurum Anno Sabbatario. | 1041. *labente.* |
| | 3042. | David cum Hieroſolymis annos 32. & in univerſum annos $39\frac{1}{2}$. regnaſſet, Salomonem ſecundò ungit Regem. *Hinc initium Regni Salomonis Tertii Regis.* | $1037\frac{1}{4}$. |
| | $3042\frac{3}{4}$. | David Annorum 70. cùm regnaſſet Annos $40\frac{1}{4}$. vel $40\frac{1}{3}$ ferè, moritur. [*A morte Davidis, & plenaria ſucceſſione Salomonis, ad vocationem Ieremiæ Prophetæ, ſunt anni 390. Et ad captivitatem Babylonicam, Anni 430*]. | $1036\frac{1}{2}$. *circiter.* |

Salomon

$3042\frac{3}{4}$. Salomon (*annorum 17.*) patri Davidi defuncto in Regno Iſraël ſuccedit. *Regnat à poſteriore unctione annos* $40\frac{1}{4}$ *ſed à morte patris annos 40. quàm proximè.* $1036\frac{1}{2}$.

3045. Salomon *Anni Sabbatharii initio*, comitia in Gibeon celebrat, Dominus ei apparet: Donat Sapientiam. $1034\frac{1}{4}$.

$3045\frac{1}{2}$. Eodem anno Regni ſui, ab altera unctione quarto menſe, à Niſan numerando, ſecundo, Salomon *Templum Domini in Ieruſalem* in Monte Moria, ædificare incipit, $1033\frac{3}{4}$.

(b.) Anni $2\frac{3}{4}$.

Annis
- post
  - *Immolationem Iſaaci eodem monte mandatam 971.*
  - *Egreſſum Iſraëlitarum ex Aegypto. 592.*
  - *Initium occupatæ Terræ* $552\frac{1}{2}$.
  - *Terram promiſſam plenè occupatam, [adeóq; poſt exitum ex Aegypto plenariè finitum,] 480.*
- ante
  - *Diviſionem Regni* $37\frac{1}{2}$. *ferè.*
  - *Idololatriam aureorum vitulorum inſtitutam* $37\frac{1}{2}$ *ferè.*
  - *Ejus primam, initio captivitatis Babylonicæ deſtructionem* $427\frac{1}{2}$.
  - *[Et tàm diu ſtetit hoc primum templum].*
  - *Vltimam ultimi Templi & Hieroſolymorum deſolationem* $1103\frac{1}{2}$.

---

3052. Templum Domini, poſt completam annis 7. vel (*ritè computando*) annis $6\frac{1}{2}$. ejus ædificationem, ſolenniter, *anno Sabbatario* conſecratur. [*Ab hoc Sabbatario ſeu dedicati Templi anno excluſivè ad captivitatem Babylonicam ſunt anni 420. quibus continentur 60. Anni Sabbatarii. Sed ad finem captivitatis ſunt anni 490. qui continent 70. Sabbatarios annos.*] $1027\frac{1}{4}$.

(c.) Anni $37\frac{1}{2}$.

3081. JUBILÆUS DUODECIMUS. 999 *labens.*

$3082\frac{3}{4}$. Salomon (*annorum 57. circiter*) moritur annis 40. ferè poſt $996\frac{1}{4}$.

mortem Davi lis patris. Ei ſuccedit Rehabeam Filius Rex quartus ſuper Iſraël.

3083. REHABEAM uno vel duobus menſibus poſt Patris mortem aſpernatus conſilium ſeniorum, author eſt defectionis 10. tribuum Iſraël à paterno & avito Regno. Divellitur ergo Regnum Salomonis in Regnum Juda, duarum tribuum, Juda & Benjamin, & in Regnum Iſraël, reliquarum 10. tribuum. [*Hinc ad deſtructionem Regni Iſraëlis finalem, ſunt anni 260. Ad captivitatem autem Babylonicam tribus Iuda & Benjamin, ſunt Anni 390*]. 996¾. ferè.

---

*VI.*

# Sequitur Regnum Iſraëlitarum bipartitum in Regnum Iuda, & Regnum Iſraël.

[NB. *Quoniam certa annorum Regum Iuda & Iſraël conciliatio, & apta hiſtoriarum diſpoſitio, dari nulla poteſt, niſi præter diligentem circumſtantiarum, & exactam Characterum Chronologicorum conſiderationem, & per menſium numerationem, adhibeatur ſolers temporum æquatio: Ideò in annis ſequentibus Regum Iuda & Iſraël ritè computandis, atq; ad annos tàm Mundi, quàm Chriſti rectè applicandis, neceſſariò requiritur, ut ex annis, qui plerumq; tanquam ſolidi & completi recenſentur, debita æquatione exceſſus tollatur, aut eis defectus apponatur. Quoniam autem id fieri non poteſt, niſi ij etiam per menſes, accurato examine ſecundum circumſtantias dimenſos & numeratos, diſtinguantur, ideò ſequentibus numeris annorum, numeri menſium diligenter inquiſiti, quoq; apponuntur*].

## *Poſt diviſum Regnum Iſraëliticum.*

| Anni Mundi. *Anni Menſ.* | *REGES JUDA* | *REGES ISRAEL.* | Anni Ante Chriſtū *Anni Menſ.* |
|---|---|---|---|
| 3082. 10. | I. *Rex* REHABEAM, *Filius Salomonis, Annorum 41. Regnat annos 17. Solus* | I. Rex JEROBEAM Filius Nebath Ephrathæus (olim ſervus Salomonis) regnat annos | 996. 5. Hoc eſt quàm proximè. |
| 3083. | | | 996½. |

| Anni Mundi | *REGES JUDA.* | *REGES ISRAEL.* | Anni Ante Chriſtū |
|---|---|---|---|
| | *annos 16. menſes 5. & cum Filio, menſes 7.* | nos 22. ($21\frac{3}{4}$. ferè) Solus annos 20. menſes 3. vel 4. circiter, & cum filio annum. | |
| 3083. $1\frac{1}{2}$. | | Jerobeam, menſe octavo (à Niſan, Regni autem ſui, menſe quarto vel quinto) cultum aureorum vitulorum, quibus Iſraëlem peccare fecit, inſtituit. [à templi Hieroſolymitani ædificatione uſq; hùc, ſunt anni $37\frac{1}{2}$. | 966. $1\frac{1}{2}$. |
| 3086. | *Rehabeam, poſt 3. annos relinquit viam Domini factus idololatra, Sicut Reges Iſraël.* | | 993. |
| 3088. | *Anno quinto Regni,* Sabbatario *Siſak Rex Aegypti, captis urbibus munitis in Iuda, templum quoq; in Ieruſalem & domum Regiam ſpoliat.* | | 992. *labente.* |
| 3099. 5. | II. ABIAM, *Filius Rehabeam* [forſan annorum 38.] *incipit regnare anno 18. Ierobeam: regnat annos 3.* (annos 2. menſes 3. circiter) *ſuperſtite patre menſes 7. ferè, & ſolus, annum unum, menſes 8.* | | 979. 10. |
| 3101. 8. | III. ASSA, *Filius Abiam* [forſan annorum 20.] *mortuo patri, anno 20. Ierobeam Regis Iſraël*(non ita multum poſt incepturo) *ſuccedit. Regnat annos 41.* (annos $40\frac{2}{3}$.) *ſolus, annos 39. menſes 4. & cum filio annum, & menſes 4.* | | 977. 7. |
| 3103. 3. | | 2. NADAB, Filius Jerobeam, Rex à patre conſtituitur, anno 2. Aſſa Regis Juda; regnat annos 2. (ſive in ſecundum annum h.e. annum 1. & menſem 1.) cum patre annum, & ſolus Menſem. Occiditur cum univerſa Domo Jerobeam paterna, à Baëſa, anno 3. Aſſa Rgis Iuda. | 976. |
| 3104. | | 3. BAESA, Filius Ahia, de domo Iſaſchar, exciſa domo Ierobeam, anno 3. Aſſa, regnat annos 24. (annos 23. menſes 4.) | 974. 11. |

 ſolus

| Anni Mundi. An. Menſes. | REGES IUDA. | REGES ISRAEL. | Ante Chr. Nat. An. Menſes. |
|---|---|---|---|
| | | ſolus annos 22. menſes 2. & cum Filio annum 1. & menſes 2. | |
| 3116. | *Aſſa Aethiopem Serah, cum Ingenti exercitu venientem, magna clade cadit. Comitia Hieroſolymis, poſt Victoriam anno 15. Regni,* Sabbatario, *celebrat, & de ſpoliis ſacrificia offert die pentecoſtes.* | | 964. labente. |
| 3119. | *Anno 36. (à diviſione Regni) Baëſa adverſus Aſſa bellum movet. Aſſa, Rex Iuda, à Benadad Rege Syriæ, inconſulto Domino pacem redimit: Impedit & diruit munitionem à Baëſa in Rama captam.* | | 961. Labente. |
| 3126. 6. | | 4. Ella, Filius Baëſa, Rex à patre deſignatus, anno 26. Aſſa Regis Iuda, regnat annos 2. (annum 1. menſes 3.) cum patre quidem annum 1 menſes 2. Solus autem menſem 1. occiditur cum tota familia à Simri. | 952. 9. |
| 3127. 9. | | 5. Simri, ſervus Regis Ella (h. e. mercenarius Regis miles, conſtitutus tamen Princeps mediæ partis curruum ejus) extirpat Regem Ella, cum omni domo ejus, anno 27. Aſſa. Ipſe Regnat dies 7. obſeſſus ab Amri in Thirza, perit in Regia à ſe accenſa. NB. [Ex qua Tribu Iſraël hic Simri, & omnes qui 15. ſequuntur, reliqui Reges Iſraël, ſint oriundi, Sacra Scriptura non patefacit, niſi quod veriſimile eſt, majorem eorum partem ex Tribu Ephraim fuiſſe ortos]. | 951. 6. |
| 3127. 9. | | 6. Amri Princeps (alter forſan, unà cum Simri) exercitus Iſraëlis, proclamatur Rex à toto populo (ſeu exercitu) deinde orto Schiſmate, ab una ſaltem populi medietate: & | 951. 6. |
| (d.) Anni 56. 3127. 9. | | 7. Tibni, Filius Ginath, ab altera medietate (forſan ab iis, qui ſub Simri militarunt) Rex eligitur, anno 27. Aſſa. | 951. 6. |

Schiſma

| Anni Mundi. An. Menſes. | REGES JUDA. | REGES ISRAEL. | Ante Chriſtum Nat. Anni Menſ. |
|---|---|---|---|
| | | Schiſma finitur morte Tibni, poſt 4 annos. | |
| 3130. | JUBILÆUS TREDECIMUS. | | 950 *labens.* |
| 3131. 9 | | Amri, mortuo Tibni, confirmatur Rex anno 31. Aſſa Regis Juda. Regnat annos 12. videlicet cum Tibni tempore Schiſmatis annos 4. ſolus, annos 4. atq; cum Filio, annos 4. | 947. 6. |
| 3134. | | Amri anno 6 Samariam emptam, Regni metropolim facit, & ex Thirza Regiam eò transfert [ Manſit ea ibi annis 209. urbs verò æquatur ſolo poſt annos 827 ]. | 945. |
| 3135. 9. | | 8. AHAB, Filius Amri, à patre Rex primò deſignatus, regnat annos 22. ( annos 21. menſes 6. ) cum patre ab hac priore deſignatione annos 4. ſolus, annos 17. menſes. 6. | 943. 6. |
| 3138. 6. | | Idem Ahab declaratur ſecundò Rex, anno 38. Aſſa, patre adhuc annum 1. & menſes 3. ſuperſtite. | 940. 9. |
| 3141. | *IV.* JOSAPHAT, *Filius Aſſa, annorum 35. in conſortium Regni à Patre aſſumitur, anno 4. Achab* ( à poſteriore ejus renunciatione numerando ) *regnat annos 25.* cum patre quidem adhuc vivo, annum & menſes 4. ſolus, annos 15. menſes 8. *Et cum Filio primùm Rege deſignato, Annos 8.* Sed cum eodem, iterum atq; plenè renunciato, *annos 3. menſes 4.* Ipſe igitur Rex renunciatus ad filium ſecundò proclamatum, regnavit annos 21. menſes 8. | | 938. 3. |
| 3148. | *Elias Propheta, circa hac tempora occludit Cælum, ne pluat annis* $3\frac{1}{2}$. | | 931. 3. |
| 3148. | *Elias, occluſo Cælo, ſe occultat. Paſcitur* | | 931. 3. |

| Anni Mundi. An. Menſes. | REGES JUDA. | REGES ISRAEL. | Ante Chr. Nat. Anni Menſ. |
|---|---|---|---|
| | *pane & carnibus per corvos allatis, ad torrentem Crith.* | | |
| 3149. | *Primus annus famis ob aquarum penuriam* [ab hoc anno excluſivè, ad ultimam Hieroſolymorum vaſtationem, reſtant anni 1000.] *Elias, ad ſareptanam mulierem viduam mittitur. Ejus poſtea filium mortuum reſuſciat.* | | 931. *labens.* |
| 3151. 6. | *Cœlum, Eliæ precibus recluditur. Elias Propheta, poſt ſacrificium cælitùs accenſum, mactat 450. Prophetas Baal, & 400. Prophetas Lucorum. Fugit Iſabellam. Iejunat 40. diebus & 40. noctibus.* | | $927\frac{3}{4}$. |
| 3156. | | Ahab impulſu Iſabellæ conjugis, rapit vineam Naboth Iſraëlitæ, eumque lapidari facit. | 924. *circiter.* |
| 3157. 3. | | 9. AHASIA, Filius Ahab, patre in bello, quod poſt comitia, in anno Sabbatario moverat, occiſo, anno 17. Joſaphat Regis Juda, fit Rex Iſraëlis. Regnat annos 2. (annum 1. menſes 9.) | 922. |
| (c.) Anni 14. 3157. 3. | *Ioſaphat ex bello, quo Ahab occubuit reverſus Hieroſolymis comitia agit. Reformat ſtatum politicum.* | | 922. |
| 3158. | *Ioſaphat Filium Ioram primogenitum primò Regem deſignat, ipſe ſuperſtes eſt adhuc annos 8.* | | 921. |
| 3159. | | Elias, Ahaſiæ, ex caſu per cancellos cænaculi, decumbentis, duos quinquagenarios duces igne cœleſti perdit: Tertio deprecanti parcit: Ahaſiæ mortem prædicit. | $920\frac{3}{4}$. |
| 3159. | | 10. JORAM Filius Ahab, fratri mortuo ſuccedit Rex Iſraëlis, anno 18. Joſaphat Regis Juda (finito) & anno 2. Joram Filii Joſaphat (à prima ejus renunciatione incipiendo) regnat annos 12. (annos 12. menſes 6.). | $920\frac{1}{4}$. |

*Elias*

| AnteChr. Nat. Anni Menſ. | Anni Mundi. An. Menſes. | REGES IUDA. | REGES ISRAEL. | AnteChr. Nat. Anni Menſ. |
|---|---|---|---|---|
| 931. Labens. | 3162. | *Elias Propheta curru igneo, vivus in Cœlum raptus & translatus eſt.* [ NB. Hinc ad ultimam Hieroſolymorum vaſtationem, reſtant anni 987. quot etiam à translatione Henoch retrò ad creationem Mundi numerantur. | | 917. |
| $927\frac{3}{4}$ | 3162. | | Elias ſucceſſorem relinquit Heliſæum Prophetam, huic muneri à ſe jam ante inauguratum. | 917. |
| | 3162. 8. | *V.* JORAM, *Filius Ioſaphat, annorum 32. ſecundò renunciatur Rex Iuda, anno 5. Ioram Regis Iſraël.* Ab hinc regnat annos 8. (annos 7. menſes 6.) *patre ſuperſtite annos 3. menſes 4.* | Hiſtoria & res geſtæ Heliſæi Prophetæ: & inter cætera etiã mortuum reſuſciavit. | 916. 7. |
| 924. circiter. (f.) Anni $9\frac{1}{2}$. | 3170. 2. | *VI.* AHASIA, *vel* JOAHAS, *Filius Ioram annorum* {22. / 42.} *ſuccedit patri mortuo Rex Iuda, anno* {11. (finito) / 12. (ineunte)} *Ioram Regis Iſraël, Regnat annum unum* (*annum 1. Menſes 4*) | | 909. 1. |
| 922. | | | | |
| 922. | 3171. 6. | | Jehu, à Domino vindex peccatorum Ahab conſtitutus, utrumq; Regem, videlicet Ioram Regem Iſraël, Filium Achab, & Ahaſiam Regem Juda, natum ex Athalia, ejuſdem Achabi Filia. Et exterminat omnem familiam Achab. | 907. 9. |
| 921. | | | | |
| $920\frac{3}{4}$ | 3171. 6. | *VII.* ATHALIA, *filia Ahab, neptis Amri mater Ahaſiæ Regis Iuda, occiſo Filio, omne ſemen Regium domus Iuda (præter Ioam clàm abſconditum) trucidat, & Regnum Iuda ad ſe Tyrannicè rapit. Regnat annos 7.* (annos 6. menſes 6.) | II. IEHU, Filius Ioſaphat, Filii Nimſi, divinitùs conſtitutus Rex Iſrael, excíſa domo Achab regnat annos 28 (annos 28. menſes 3.) Dominus propter fidelem in exequendo mandato (exterminando ſcilicet domũ Achab) operam præſtitam, promittit ei Regnum I- rael | 907. 9. |
| $910\frac{1}{4}$ | | | | |

| Anni Mundi<br>*Anni Menſ.* | *REGES IUDA.* / *REGES ISRAEL.* | AnteChr. Nat.<br>*An. Menſes.* |
|---|---|---|
| | ſrael in quartam generationem. | |
| 3179. | IUBILÆUS DECIMUS QUARTUS. | 901. *labens.* |
| | *VIII.* IOAS, *Filius Ahaſiæ, annorum 7. in principio hujus decimi quarti Iubilæi, conſtituitur Rex Iuda, à Ioiada ſummo ſacerdote, nimirum anno 7. Regni Athaliæ & IEHV. Athalia occiditur. Regnat annos 40.* Solus quidem annos 37¼. & cum Filio annos 2¾. | |
| (g.) Anni 41½. | *Ioas, ut Templum Domini reficiatur, mandat. At id per Levitas ſegniùs perficitur.* | |
| 3199. 9. | 12. IOACHAS Filius Iehu, patri mortuo ſuccedit Rex Iſrael, anno 23. Ioas Regis Iuda, Regnat annos 17. Solus, annos 14. & cum filio, annos 3. | 879. 6. |
| 3201. | *Ioas, anno 23. majori curâ, Templi refectionem ſuſcipit.* | 878. |
| 3213. | *Iojada, ſummus Sacerdos, Regis Ioas Nutricius, eiq; proxima affinitate junctus, annorum 130. circa hæc tempora moritur.* [natus ergò fuit, circa initium diviſi Regni. Hinc (*utroq; Regno inclinare incipiente*) ad collapſum Regnum Iſrael, ſuperſunt anni 130. & ad captivitatem Babylonicam Regni Iuda, bis totidem, hoc eſt, 260. anni.] | 866¼. *circiter.* |
| 3213. 6. | *Iojada ſummo Sacerdote mortuo, Ioas Rex Iuda, ſuaſu procerum Regni, ad Idololatriam deficit: Prophetas eum reprehendentes non audit.* | 865. 9. *circiter.* |
| 3213. 9. | 13. IOAS, Filius Ioahas, nepos Iehu, à patre in conſortium Regni aſſumitur, anno 37. Ioas Regis Iuda. Regnat annos 16. (annos 15. menſes 6.) cum patre | 865. 6. |

| Anni Mundi. Anni Menſ. | REGES IUDA. | REGES ISRAEL. | Ante Chr. Nat. Anni Menſ. |
|---|---|---|---|
| | | tre ſuperſtite, annos 3. ſolus annos 12. menſes 6. | |
| 3214. | *Zachariam, Filium Iojada, Idololatriam Regis Iuda reprehendentem, Ioas Rex lapidibus in atrio Domus Domini obrutum necari præcipit. Is moriens DEUM vindicem comminatur.* | | $865\frac{1}{4}$. *circiter.* |
| 3215. | *Elapſo Anno poſt trucidatum Zachariam, Haſaël Rex Syriæ, Iudæam & Hieroſolymam bello infeſtat. Relinquit Regem ægrum.* | | $864\frac{2}{4}$. |
| 3215. 3. | IX. AMASIAS *Filius Ioas, annorum 25. à patre [ægrotante] Rex Iuda creatur, anno 2. Ioas Regis Iſraël. Regnat annos 29.* cum patre quidem, antequam is à conjuratis necaretur, ſuperſtite annos $2\frac{3}{4}$. & ſolus annos $26\frac{1}{4}$. | | 864. |
| 3222. | | Heliſæus Propheta moritur annis 60. (forſans 65.) circiter, poſt Eliæ translationem. Contactu oſſium ejus mortuus quidam reviviſcit. | 858. *circiter.* |
| (h.) Anni 65. 3228. | IUBILÆUS DECIMUS QUINTUS. | | 852. *labens.* |
| 3229. | | Ioas Rex Iſraël, ab Amaſia Rege Iuda, bello non neceſſario laceſſitus, Victoriam obtinet: Templum & urbem Hieroſolymorum ſpoliat: poſtea moritur: Amaſia annis 15. ſuper vivente. | $850\frac{1}{4}$. |
| 3229. 3. | | 14. IEROBEAM II. Filius Ioas, tertius ex poſteritate Iehu, ſuccedit patri mortuo, Rex Iſrael, anno 15. Amaſiæ Regis Iuda. Regnat annos 41. | 851. |
| 3244. 3 | *Amaſia Rege Iuda, per conjurationem ſuorum occiſo, Interregnum eſt (quo Filius Regis ſucceſſor, ſub tutela educatur) annis $10\frac{3}{4}$.* | | 835. |
| 3255. | X. ASARIAS *vel* USIAS, *Filius Amaſiæ, annorum 16. à populo ſeu proceribus Regni Iuda (tutelæ reſignantibus) in comitiis,* | | $824\frac{2}{4}$. |

| Anni Mundi. Anni Menſ. | REGES IUDA. | REGES ISRAËL. | Ante Chr. Nat. Anni Menſ. |
|---|---|---|---|
| | *& initio anni Sabbatarii, creatur Rex Iuda, anno 27. Ierobeam II. Regis Iſraël, Regnat annos 52.* | | |
| 3270. 3. | | Ierobeam II. mortuo, Interregnum ſequitur annis $22\frac{3}{4}$ | 809. |
| 3277. | IUBILÆUS DECIMUS SEXTUS. | | 805 labens. |
| 3278. | [*Iſaias Propheta circa initium anni 24. Vſiæ, Propheticum munus exorſus videtur.* Hinc ad excisionem Regni *Iſraëlitici ſuperſunt anni 65.* (Is. 7. v. 8.). *Hic tandem poſt annos non pauciores quàm 88. à Manaſſe, lignea ſerra diſſectus fertur.*] | | $801\frac{1}{4}$. |
| 3293. | | 15. SACHARIA, Filius Ieroboami II. quartus & ultimus ex poſteritate IEHU (Interregni tempore, ſub tutoribus educatus) fit Rex Iſrael, anno 38. Uſiæ Regis Iuda. Regnat Menſes 6. occiditur à Sallum. | 786. 3. |
| 3293. 6 | | 16. SALLUM, Filius Iabes, occiſo Sacharia, Regnum Iſraël ad ſe rapit anno 39. Uſiæ, Regnat menſem unum occiditur à Manahem. | 785. 9. |
| 3293. 7. | | 17. MANAHEM Filius Gadi occiſo Sallum fit Rex Iſrael, anno 39. Vſiæ. Regnat annos 10. (annos 10. menſes 6.) Manahem à Phul Rege Aſſyriorum, veniente in terram Iſrael, magno pretio pacem & confirmationem in Regno redimit. | 785. 8. |
| 3303. 9. | *Initium primi Anni primæ OLYMPIADIS.* | | 775. 6. |
| 3304. 1. | | 18. PEKAIA Filius Manahem, Patri mortuo ſuccedit Rex Iſrael, anno 50. Uſiæ Regis Iuda. Regnat annos 2. (annos 2. menſes 3.) occiditur à Peka ſuo capitaneo. | 775. 2. |
| 3306. 4. | | 19. PEKA Filius Romaliæ, capitaneus Regis | 772. 11. |

| Anni Mundi. Anni Menſ. | REGES IUDA. | REGES ISRAEL. | Ante Chr. Nat. Anni Menſ. |
|---|---|---|---|
| | | Regis Pekajæ, poſt occiſum Dominum Regem ſuum Pekaja, fit Rex Iſraelis, anno 52. Uſiæ Regis Iuda. Regnat annos 20. (annos 20. menſes 4.) occiditur ab Hoſea. | |
| 3307. | XI. IOTHAM, *Filius Vſia, annorum 25. poſtquam prius, dum pater lepra infectus, gubernatione Regni pulſus eſſet, tàm Regnum, quàm Regiam* (attamen abſque titulo Regio) *procuravit, jam patri mortuo ſuccedit Rex Iuda, anno 2. Peka Regis Iſraël.* Regnat ab hoc tempore ſolus annos 16. & poſtea etiam cum Filio, non minus quàm 4. annos. | | $772\frac{2}{4}$. |
| (i.) Anni 65. 3323. | XII. ACHATZ, *Filius Iothan, annorum 20. declaratur Rex Iuda, anno 17. Peka Regis Iſraël. Regnat annos 16. verùm à deſignatione usq; ad ſuum Filium Regem creatum, annos 14. menſes 4. Inter quos cum patre ſuperſtite ad minimum annos 4. Regno præfuit. Poſtea cum Filio annum unum menſes 8.* | | $756\frac{2}{4}$. |
| 3326. | IUBILÆUS DECIMUS SEPTIMUS. *Circa hujus Iubilæi initium, hoc eſt biennio circiter ante mortem Peka Regis Iſraël, Prophetia Iſaiæ c. 7 8. & 9. revelatur & editur.* | | 754. *labens.* |
| 3326. 8. | | Peka, Rex Iſrael, occiditur ab Hoſea, anno *20.* Iothàm (ſive anno 4. Achatz Filii Iotham) Regis Iuda. Sequitur interregnum, in Regno Iſrael annorum 7. menſium 7. ferè. | 752. 7. |
| 3327. 3. | Initium annorum à condita urbe Roma. Anno Poſt captam Trojam 430. Et anno 4. Olympiadis *6.* Hinc ad vulgare Initium annorum Chriſti, ſunt anni *752.* | | 752. |
| 3332. 5. | Initium annorum Nabonaſari, qui Salmanaſar putatur. | | 746. |



20. Ho-

| Anni Mundi. *Anni Menſ.* | *REGES IUDA.* | *REGES ISRAEL.* | Ante Chr. Nat. *Anni Menſ.* |
|---|---|---|---|
| 3334. 3. | | 20. HOSEA, Filius Ella, poſt Interregnum in Regno Iſraël, confirmatur Rex Iſraël (& quidem ultimus) anno 12. Achatz Regis Iuda. Regnat annos 9. (annos 8. menſes 9.) | 745. |
| 3337. 4. | XIII. HISKIAS, *Filius Achaz, annorum 25. renunciatur Rex Iuda, anno 3. Hoſea Regis Iſraël, Regnat annos 29.* Nimirum ab hac renunciatione cum patre adhuc ſuperſtite annum unum, menſes 8. Ab eadem hac renunciatione, uſque ad Filium Regem declaratum, annos 26. menſes 8 Solus, poſt patris obitum, annos 25. & deinceps cum Filio, annos 2. menſes 4. | | 741. 11. |
| 3337. 6. | *Hiskias, Templum ab Idololatria, quam pater ejus inſtituerat, repurgat. Anno primo Regni, menſe primo Niſan, die primo* (30. Martii) *Sabbato, Sacerdotium reſtituitur. Et die 8. ejusdem menſis* (die 6. Aprilis) *itidem Sabbato, templum Domini Sanctificatur. Menſe ſecundo, paſcha maxima cum ſolennitate celebratur.* | | 741. 9. |
| 3343. | | Anno 9. Hoſeæ, Regis Iſrael, qui eſt annus 6. Hiskiæ Regis Iuda, Salmanaſar Rex Aſſyriorum, Samariam, quam in tertium annum obſidione cinxerat, capit: Regnoq; Iſraelitarum in totum deſtructo, Iſraelitas in perpetuam ſervitutem abducit. [ſtetit itaq; Regnum Iſrael annis 260. & concidit ante captivitatem Babylonicam annis 130. | $736\frac{3}{4}$. |

*Finis Regni Iſraël.*

VII.

## *REGES IUDA.*

### *VII.*

# Regnum Iuda ſolum.

3343. 736 2/8.

3351. *Anno 14. Regni Hiskiæ, Senacherib Rex Aſſyriorum, Iudaam primò invadit, ſed mulctâ & muneribus placatus recedit.* 729. *labenta.*

3352. *Anno 15. Hiskias lathaliter decumbit: vitam Dominus ei deprecanti in 15. annos prorogat: Ad cujus confirmationem, Sol fit retrogradus. Senacherib Rex aſſyriorum contra datam fidem, perjurus, Iudaam ſecundò invadit. Blaſphemo ore Hieroſolymorum deditionem poſtulat. Transfert bellum Libnam ſive Peluſium in Aegyptum.* 728. *labente.*

3353. *Senacherib adventu Regis æthiopum cum valido exercitu, perculſus, ſuum militem in Iudaam reducit. Eum, priores in Deum Iſraël blaſphemias per literas repetentem, Dominus punit, miſſoq; Angelo, una nocte in exercitu ejus 185000. viros occidit, unde ipſe maximis itineribus in Niniven profugiens, poſt 54. dies, à ſuis Filiis in Templo DEI ſui trucidatus occumbit.* 727. *labente.*

(k.) Anni 65.

3354. Annus Sabbatarius *eſt. Hiskias, per Iſaiam priore anno juſſus fuit conculcatis ab hoſte (rurſusq; enatis) hoc autem anno ſpontè naſcentibus, veſci.* 726. *labent.*

3364. *XIV.* MANNASSES *Filius Hiskiæ annorum 12. creatur Rex Iuda. Regnat annos 55. (annos 54. menſes 6.) cum patre tamen ſuperſtite annos 2. menſes 4.* 715 2/4.

*Iſaias Propheta à Manaſſe Serra lignea diſſectus fertur* [ iſtud haud dubie vivo patre Hiskia, h. e. ante annum Mundi 3367. factum non eſt. Iſaias ergò non panciores, quàm 88. annos Prophetavit].

3375. JUBILÆUS DECIMUS OCTAVUS. 705 *labens.*

3408. *Anno 44 Regni Manaſſe primum captivitatis Babylonicæ præludium cæpiſſe videtur, Manaſſe videlicet aut captivo Babylonē abducto, aut (quod veriſimilius eſt) poſt actam feriò pænitentiam, libero in terram patriam remiſſo. Eo abſente, Eliakim (Iſa. 22.) Regnum gubernaſſe exiſtimatur. Manaſſes Regno reſtitutus, verum cultum divinum reſtaurat.* 671 2/4.

| Anni Mundi. *Anni Menſ.* | REGES IUDA. | Ante Chr. Nat. *Anni Menſ.* |
|---|---|---|
| 3418. 6. | *XV.* AMMON, *Filius Manaſſæ annorum 22. Succedit patri. Regnat annos 2. ( annum 1. menſes 6.)* | 660. 9. |
| 3420. | *XVI.* JOSIAS *Filius Ammon annorum 8. patre à conjuratis occiſo, Rex à populo conſtituitur. Regnat annos 31.* | 659$\frac{1}{4}$. |
| 3424. | JUBILÆUS DECIMUS NONUS. | 656 *labens.* |
| 3432. | *Ioſias, anno 12. Regni, omnem Idolomaniam expurgat.* | 648 *labente.* |
| 3433. | *Ieremias, anno 13. Regni Ioſiæ, ad munus Propheticum vocatur.* [à morte Davidis, ſeu initio Regni Salomonis poſt patris mortem, ad hunc annum (incluſivè) ſunt anni 390. A diviſione autem Regni Salomonis, anni 350. Et ab hoc anno (excluſivè) reſtant ad captivitatem Babylonicam anni 40. | 647 *labente.* |
| 3438. | *Ioſias anno 18. Regni,* Sabbatario, *repurgat & reficit templum & cultum Domini. Liber* LEGIS *Domini à Moſe ſcriptus, aliquandiu amiſſus, reperitur. Ioſias comitia agit. Percutit fœdus cum populo coram Domino, ut ambulent in via Domini. Celebrat ſolenne paſcha* [Hunc annum Ezechiel Propheta Æram ſeu Epochen ſuæ numerationis facit]. | 642. *labente.* |
| 3451. | *XVII.* IOACHAS *Filius Ioſiæ, annorum 23. Patre à Pharaone Necho Rege Aegyptiorum, cui contra Aſſyriorum Regem proficiſcenti improvidentius occurrerat, cæſo, creatur à populo ( in comitiis Anni Sabbatarii ) Rex Iuda, fratre ejus ſeniore neglecto. Regnat Menſes 3. Eum Pharao Necho, à Bello Aſſyriaco victor rediens, captivum in Aegyptum deportat.* [Hinc ad precationem Danielis, anno 3. Cyri in Regno perſico ( Dan. 10. ) ſunt anni 70.] | 628$\frac{1}{4}$. |
| 3451. 3. | *XVIII. Eliakim, à Pharaone Necho, Rege Aegyptiorum nominatus Iojakim, Filius Ioſiæ, annorum 25. ab eodem Pharaone, loco fratris conſtituitur Rex Iuda. Regnat annos 11. ( annos 10$\frac{1}{2}$.)* | 628. |
| 3454. | *Anno 3. Iojakim, Nebucadnezar Magnus, anno Nebucadnezari primi, patris ſui Regis Aſſyriorum ultimo, captis Hieroſolymis Regem Iojakim catenis vincit, ut Babyloniam ipſum abducat. Mox tamen ſolutum, eum Regno Iuda reſtituit. Inter captivos Daniel puer adoleſcentulus, de ſemine ( ut apparet ex Dan. 1. v. 3. & 6. Regio, etiam in Babyloniam aſportatur.* [Hoc eſt alterum præludium captivitatis Babylonicæ.] | 625. |

*Annus*

| Anni Mundi. *Anni Menſ.* | REGES IUDA. | Ante Chr. Nat. *Anni Menſ.* |
|---|---|---|
| 3454¾. | *Annus 4. Iojakim, eſt annus 23. Prædicationis Ieremiæ, & Annus primus Nebucadnezaris ſecundi, Regis Aſſyriorum, qui Magnus dictus eſt.* [Hunc Ptolomæus Aſtronomus Nabopollaſarum vocat. NB Per hunc unicum & ſolum patet certus & indubitatus ex ſacra Hiſtoria inHiſtorias Prophanas Tranſitus] *Regnat apud Babylonios in Aſſyria annos 43.* | 624½. |
| — | *Ad annum 1. vel. 2. Nebucadnezaris hujus, hiſtoria Suſannæ pertinere videtur.* | |
| 3456. | *Anno ſecundo Nebucadnezaris, Daniel in Aula Regia Babylonica magnus fit, propter ſomnii Regis interpretationem.* | 623. |
| 3461¾. | *XIX.* IOIACHIN, *vel* IECHONIAS, *Filius Iojakim annorum $\frac{8}{18}$. patri mortuo* (& ſepultura aſini ſepulto) *ſuccedit Rex. Regnat menſes 3. & dies 10.* | 617½. |
| (1.) Anni 65. 3462. | *Nebucadnezar anno Regni ſui 8. obſidet Ieruſalem. Iechonias Rex* (ſuaſu Ieremiæ) *ſe dedit, in voluntarium exilium abit. Deducitur in Babel, ibiq;* (contra datam fidem) *in carceres, usq; ad mortem Nebucadnezaris detruditur. Inter captivos etiam Ezechiel Propheta abducitur.* [Hæc tertia Tranſmigratio non tantũ illius famoſæ captivitatis præludium, ſed etiam verè captivitas dicenda eſt. Nam nec Rex, nec quiſquam cum eo captivus abduct⁹ in patriam rediiſſe legitur. Quam ob cauſam nonnulli famoſam illam, multiſque nominibus in S.Scripturâ decantatam Septuagenariam Babylonicam captivitatem, ab hac Iechoniæ tranſmigratione, incepiſſe putant.] | 617¼. |
| 3462. | *XX.* ZEDEKIA, *Filius Ioſiæ, annorum 21. à Nabucadnezare, loco nepotis ejus ex fratre, Rex Iudæ conſtituitur. Regnat annos 11.* (Annos 10. menſeš 11.) | 617¼. |
| 3466. 10. | *Anno 5. captivitatis Iechoniæ, qui eſt annus 30. à reperto libro legis, & à fœdere coram Domino, ambulandi in viis Domini, per Ioſiam & populum ſolenniter revocato, Ezechiel in Babylone Prophetare incipit, menſe 4. die 5.* | 612. 5. |
| 3471. 4. | *Anno 9 Zedekiæ, Nebucadnezar Hieroſolymam, ob defectionem Zedekiæ, obſidet die 10. menſis 10.* | 607. 11. |
| | *Annus 10. Zedekiæ, eſt annus 18. Nebucadnezaris.* | |
| 3473. | IUBILÆUS VICESIMUS. *Iudæi* (*hoc Iubilæo*) *ſervos* | 607. labens. |

## *REGES IUDA.*

*vos manumittunt. At Nebucadnezare Regi Aegyptiorum, Iudæis opitulari volenti, occurrente, atq; idcirco obſidionem Hieroſolymorum ad tempus deſerente: ipſi ſervos dimiſſos in priſtinam ſervitutem retrahunt.*

3472 {10 / 11} *Anno 11. Zedekiæ, qui eſt annus decimus Nonus Nebucadnezaris, Nebucadnezar circa modò dicti Iubilæi finem, urbem Hieroſolymam & Templum capit, vaſtat, comburit, & omnem populū in Babylonem captivū abſtrahit. Vrbs capta eſt, menſe 4. die 9. [12. Iulii] Sabbato Templum verò ſuccenſum eſt die {7. / 10.} menſis quinti, {8. / 11.} Auguſti] feria {ſexta, ſeu die Ven. / ſecunda ſeu die Lunæ}* 606. {5 / 4.}

### *Anni*

Huc uſque numerantur Anni.

- A vocatione Abrahæ, $1449\frac{1}{2}$.
- Ab Exitu ex Ægypto, $1019\frac{1}{2}$.
- Ab initio occupatæ terræ ſanctæ 980. *h.e. bis 490.*
- Ab excuſſo jugo vicinarum gentium 490.
- A Morte Davidis 430.
- Ab Extructione Templi $427\frac{1}{2}$. *Tàm diu ſtetit 1. Templum.*
- A Dedicatione Templi 421.
- A diſtractione Regni 390.
- A fine Regni Iſraëlitici 130.
- A vocatione Ieremiæ 40.

3473. *Vaſtata igitur Hieroſolymorum urbe, & primo Templo exuſto, populoq; abducto, memorabilis illa & famoſa tranſmigratio vel captivitas Babylonica, antea longo tempore prædicta, atq; poſtea plurimis verbis multoties decantata, capit. Duravit ea totos annos 70.* $606\frac{1}{4}$.

---

*VIII.*

## Captivitas Babylonica.

3473. Initium captivitatis Babylonicæ, anno 19 (inchoato) Nebucadnezaris. $606\frac{1}{4}$.

3478. Anno 23. Nebucadnezaris *(completo)* reliquiæ Judæorum ex Iudæa in Aſſyriam quoq; deportantur. $601\frac{1}{4}$.

Poſt

| Ante Chr. Nat. Anni Mar. | Anni Mundi. | | Anni Ante Christū |
|---|---|---|---|
| | | Poſt hæc tempora Nebucadnezar totum ſeptennium furioſus inter beſtias vagatur. | |
| 606.{5 4 | 3497$\frac{3}{4}$. | Evilmerodach Filius Nebucadnezaris, patri poſt 43. Regni, & poſt 25. ab abductis Judæis annos completos, mortuo ſuccedit. Regnat annos 2. occiditur à Nirigliſſare, ſuo ſororio. | 581$\frac{1}{2}$. |
| | 3498$\frac{1}{2}$. | Evilmerodach anno 1. Regni, die 25. vel 27. menſis Adar, Jechoniam Regem Iuda (*huc uſque in 36. annum contra datam fidem, carceribus incluſum*) educit & regaliter tractat. | 580$\frac{3}{4}$. |
| f (m) Anni 32. | 3499$\frac{3}{4}$. | Nirigliſſares, Nebucadnezaris Magni gener, poſtquàm Evilmerodachum, conjugis ſuæ fratrem, propter Sceleratam ejus vitam, per inſidias occîdit: regnat cum Filio ſuo Belſazaro, Nebucadnezaris ex Filia nepote [*ceu pupilli tutor, & Regni Adminiſtrator*] annos 4. (cum $\frac{1}{4}$. quàm proximè). | 579$\frac{1}{2}$. |
| | | Hujus anno 1. & 3. Daniel viſiones, Dan. 7. & 8. vidit. | |
| | 3504. | Belſazar (qui & Laboroſoarchodus (Nebucadnezaris Filiæ Filius, regnat plenaria poteſtate menſes 9. | 575$\frac{1}{4}$. |
| | 3504$\frac{3}{4}$. | Belſazaro, dum ut puer nimis petulanter & impiè vaſa DOMINI prophanat, Manus in pariete Scribentis apparet. Daniel Scripturam interpretatus honoratur. Rex brevi pòſt noctu, per conſpirationem ſuorum procerum & Aulicorum occiditur (συμπανίζεται). Nebucadnezaris progenies deficit. | 574$\frac{1}{2}$. |
| 606$\frac{1}{4}$. | 3504$\frac{3}{4}$ | Darius Medus (*qui & Nabonnedus, item Labynithus*) de ſemine Medorum, unus ex conjuratis, & Belſazari occiſoribus, Aſſyriorum Regnum, hæreditario Domino, propter Nebucadnezaris proſapiam deſinentem, deſtitutum, ſibiq; delatum (*quanquam ad ſe non pertinebat*) ſuſcipit. Is tùm erat 62. annorum. Regnat, non quidem Medico, ſed Aſſyriaco nomine, annos 17. Pellitur Regno, & Carmeniæ præficitur à Cyro. | 574$\frac{1}{2}$. |
| 606$\frac{1}{4}$ | | Anno hujus Darii primo, Danieli Prophetia de 70. hebdomadibus revelatur. | |
| 601$\frac{1}{4}$ | | [NB. *Daniel* (*Dario Medo, poſtquàm Nebucadnezaris proſapia in nepote defecerat, & Iudæi tàm Nebucadnezari, quàm ejus* | |

E *Filio*

*Filio, & etiam Nepoti ſervierant, Regnum occupante ) majora, quam petierat, audit; nempe: 1. Annos 70. captivitatis Iudaorum non finiri cum Regia Aſſyriorum ſtirpe extincta: 2. Meſsiam, verum liberatorem non jam, ſed ſuo tempore venturum. 3. Eumq; non politicè regnaturum, ſed moriturum. 4. urbem Hieroſolymam non perpetuò in cineribus quieturam, ſed certò reſtauratam iri: 5. Iudaos tamen aliis populis non dominaturos, ſed urbem, unà cum ipſis, poſt 70. ab inſtauratione annorum hebdomadas exciſam iri* ].

Sub hoc Dario Daniel in lacum Leonum conjectus, à Domino ſervatur.

IX.

## Reges Perſarum.

AntChr Nat. | Olympiadū. Anni Iub.

$3519\frac{1}{2}$. I. Cyrus, devicto Aſtyage avo, materno, Regnum Medotum ad Perſas transfert. Ipſe primus Perſarum Rex regnat annos 30. $559\frac{2}{4}$. 54. 4. annus ferè finitus vel

3522. IUBILÆUS VICESIMUS PRIMUS. 558 labens. 55. 1. annus mox incepturus

$3521\frac{1}{2}$. Anno 3. Cyri, in Regno Perſico ( *incipiente* ) Menſe Niſan, tempore paſchali; [ *quo memoria Liberationis Iſraëlitarum ex Aegypto recolebatur: labente Iubilao anno, libertati deſtinato: Praterea Cyro vel Cores ( jam olim ab Iſaia Propheta Nominato* ) tum mœnibus Babylonis appropinquante: Item *Annis 70. à Ioachas Rege Iuda in Aegyptum captivo abducto.* ] Daniel populi Iudaici liberationem ex Babylone ardentiſſimis precibus ſupplex à Domino per integros 21. dies flagitat. Sed audit, captivitatis ſolutionem, per principem Perſicum ( genium malum ) totos 21. dies ( angelicos, id eſt 21. annos) impediri. $557\frac{3}{4}$.

---

3522. Cyrus Babylonem capit: Darium Medum, Regem Babyloniorum, urbe quidem relegatum, Carminienſi tamen Præfecturæ præficit: Monarchiam Aſſyriorum ad Perſasquoque transfert. $557\frac{3}{4}$. 55. 3.

Daniel ſub Cyro, poſt Darium Regno Aſſyriorum motum, deſtruit Belum, Babyloniorum Idolum: interficit Draconem: projectus in Lacum Leonum, divinitùs iterum ſervatur.

Interea Cyrus plurima bella conficit, antequàm totius orbis Monarchiam conſequutus fuit.

(o.) Anni 21. 3543. Completis 21. annis à capta per Cyrum Babylone [*atq; ſic primo prælio cum Principe Regni Perſarum, Dan. 10.v. 13. peracto*] finiuntur 70. anni à templo Hieroſolymitano, vaſtato. 536¾. 60. 4

[*NB. Tempus 70. annorum captivitatis Babylonicæ continet (præter 10. Sabbatarios) 60. annos communes. At, totidem anni Sabbatarii, nimirum 60. interciderunt poſt dedicationem Templi Salomonis, usq; ad captivitatem Babylonicam, Templumq; deſolatum, qui non debito modo celebrati, per illos compenſandi & compenſati fuerunt.* Levit. 26. v. 34. & 35. 2. Paralip. 36. v. 21.]

*Finis 70. annorum Babylonicæ Captivitatis.*

---

Olympiadis 54. annus ſive ultimus vel 55. annus primus.

3543. Cyrus, 23. annis Regni Perſici &c. 21. annis Regni Aſſyriaci completis, peneq; toto orbe devicto, jam in pace vivens, verè dicere potuit: Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cœli &c. 2. Chron. 36. 22. Eſdr. 1. 1. Ibi igitur Judæorum captivitatem [*vaticinii de ſe olim, Iſ. 44. verſ. ult. & c. 45. verſ. 1. prolati abſq; dubio à Daniele admonitus*] Solvit: eos libertate donat: vaſa templi Hieroſolymitani, ante 70. annos ablata, reddit. Templum illud reædificari mandat. 536¾. 60. 4

3544. *Hic primus libertatis reſtitutæ Annnus, nominatur Primus Cyri (liberatoris) Annus [Hunc primum Cyri, & Libertatis redditæ annum Daniel attigit: Eo autem mortuus (cententario non minor, quidam eum 110. annos vixiſſe tradunt) nec in patriam deſideratiſſimam, reverſus, ſed inter Regia monimenta humatus, fertur*]. 536. Jubilæus.

55. 1. Judæi, Duce Zorobabele (*qui in Aula Perſica Sesbazar dicebatur*) & ſummo Sacerdote Jeſua, redeunt in patriam terram Iuda. [*Inter Duces reduces etiam Nehemias numeratur. Is deſtructo poſt 200. annos ab Alexandro Magno Perſarum Regno, adhuc ſuperſtes eſt.*] Anno hoc reditus primo, Iudæi Altare extruunt, & Feſtum Tabernaculorum celebrant. 3540. 535¾.

| Anni Mundi | | Ante Chriſt. | Ol. | An. lab. |
|---|---|---|---|---|
| 3544½ | Anno ſecundo reditus, menſe ſecundo, Zorobabel & Ieſua fundamenta Templi ponunt. ( *Annis poſt primam fundationem 500. minus uno* ) Sed opus à populo Terræ omnibus diebus Vitæ Cyri impeditur, ſubdolè [ *Hic alterum prælium cum Principe Perſiæ incipit.* Dan, 10. verſ. 20.] | 534¾. | 61. | 1. |
| 3548¾ | Cyrus (*fervore extruendi Templi DOMINI, remiſſo*) bello quod in Scythas, non neceſſarium moverat, perit, cum regnaſſet annos 30. & poſt libertatem Iudæis conceſſam annos 7. | 529½. | 62. | 3. |
| 3549¾ | II. Cambyſes, Filius Cyri, ſuccedens patri, Regnat Rex Perſiæ, annos 7. menſes 5. | 529½. | 62. | 3. |
| | Opus DOMINI in Ieruſalem, ſub hoc Rege (*cui omnis Religio, nulla Religio*) & etiam ſequente, à populo terræ partim doloſè, partim incurſationibus, & aperta vi, impunè impeditur. | | | |
| 3557¼. | Smerdes, Magus, poſt mortem Cambyſis (Smerdis, Filii Cyri nomen mentiendo) Regnat menſes 7. occiditur à Septemuiris Regni. *Ejus Regnum pro interregno habetur, & à nonnullis Cambyſi annumeratur.* | 522. | 64. | 2. |
| 3557¾. | III. Darius, Filius Hyſtaſpis, unus ex ſeptemviris & Smerdis occiſoribus, fit Rex. Regnat annos 36. | 521½. | 64. | 3. |
| 3571. | IUBILÆUS VICESIMUS SECUNDUS. | 509. labens. | | |
| 3593¾. | IV. Xerxes (*Magnus ſive I.*) Darii Filius [ *Terror Græciæ* ] regnat annos 20. & ultrà (*annos 21.*) *Hunc cenſemus eſſe Aſuerum (1. Esdr. 4. v. 6.) ad quem, Iudæorum hoſtes, accuſationes ſcribunt, ut Templi & Vrbis reſtaurationem edicto Regio prohibeat, poſtulantes. Ipſe verò nihil reſpondet.* | 485½. | 73. | 3. |
| (p.) Anni 116. 3599¾. | Xerxes annis 6. Regni completis, tempore verno, Græciam innumerabili cum exercitu, undiquaque collecto, 5283220. virorum (*exceptis mulieribus pinſentibus, ſcortis, eunuchis, aliiſq; impedimentis*) invadit. | 479¾. | 74. | 4. |
| 3600. | Sub Autumnum Xerxes turpi fuga ex Græcia vix ſolus, Scaphia piſcatoria, evadit. | 479¼. | 75. | 1. |
| 3614¾. | Artabanus, Xerxis præfectus Aulicus, Rege ſuo occiſo, regnat menſes 7. *bujus Regnum pro Interregno quoq; habetur.* | 464½ | 78. | 4. |
| 3615¼. | V. Artaxerxes Longimanus, Xerxis Filius, occiſo Artabano, | 464. | 78. | 4. |

| Ante Mundi | | Ante Chriſt. | Ol. | An. lab. |
|---|---|---|---|---|
| | bano, Patris ſui Interfectore, regnat annos 40. (*vel parum ultra*) Hic, graviter accuſatos Judæos, ſerio edicto à Templi & urbis Hieroſolymorum ſtructura prohibet. | | | |
| 3620. | JUBILÆUS VICESIMUS TERTIUS. | 450 labens. | | |
| $3647\frac{1}{4}$ | Initium Belli Peloponeſiaci, quod in 28. annum continuatur. | $431\frac{1}{2}$. | 87. | 1. |
| $3655\frac{1}{3}$. | Xerxes II. Patri Artaxerxi Longimano tempore Hyberno mortuo, ſuccedit. Regnat annum unum, plus minus. | 424. | 88. | 4. |
| $3656\frac{1}{3}$ | Ogdianus, vel Sogdianus, fratri mortuo ſuccedit. Regnat menſes 7. *Horum duorum Regum Perſicorum Regnum, à nonnullis non computatur, ſed ceu Interregnum, ſequentis Regis annis annumeratur.* | 423. | 89. | 1. |
| 3657. | VI. Darius Nothus, interempto Ogdiano, fit Rex Perſarum. Regnat annos 19. ferè. | $422\frac{1}{4}$. | 89. | 2. |
| $3657\frac{1}{2}$ | *Iuxta Hebræorum computum, Regnum hujus Darii à ſequente Menſe Niſan inchoatur.* [NB. *Hic eſt Darius ille, qui duobus Artaxerxibus ſeptus eſt (Xerxe II. & Ogdiano, tanquã Interregibus, neglectis) videlicet Artaxerxe Longimano, anteceſſore, & Artaxerxe Mnemone, filio, ſucceſſore*]. | $421\frac{3}{4}$. | 89. | 2. |
| 3659. | Anno ſecundo Darii (*completo quidem, ſi à Regni ejus initio: labente verò, ſi ſecundùm Hebræos à ſequenti Niſan menſe, numeratio incipiatur*) ſtructura Templi DOMINI in Jeruſalem reſumitur, Domino Jeſuam, ſummum Sacerdotem, & Zorobabelem Ducem, per Aggæum & Zachariam Prophetas, confirmante & corroborante: Dario quoque Rege itidem approbante, quin & mandante, atque Mandatum Cyri (antiquatum, nec non per Artaxerxis Longimani contrarium mandatum, caſſatum) novo edicto ſeriò repetente. | $420\frac{1}{4}$. | 89. | 4. |
| 3659. | Initium 70. Hebdomadum Danielis ab exitu verbi de reſtauratione Hieroſolymorum, & reædificatione Templi, editi anno ſecundo Darii Nothi. *Hæ hebdomades, quæ continent 490. annos, finiuntur in ultima Hieroſolymorum vaſtatione [ Hinc ad reſtaurationem Murorum* | $420\frac{1}{4}$. | 89. | 4. |

| Anni Mundi. | | Ante Christ. | Ol. An. Lab. |
|---|---|---|---|
| | *Hieroſ. lymitanorum, anno 32. Artaxerxis, cum tribulatione conſummatam, ſunt anni 49. ſive 7. hebdomades*]. | | |
| (q.) Anni 4½. 3663½. | Anno 6. Darii, die 3. Adar (*Martii*) Domus Domini [poſt annos 4½. à reædificatione totis viribus reſumpta] fuit completa, & ſolenni dedicatione ſanctificata. Menſe Niſan (*Aprili*) ſequenti, paſcha in lætitia celebratum eſt. | 415¾. | |
| 3669. | JUBILÆUS VICESIMUS QUARTUS. | 411. *labent.* | |
| | Bellum Peloponeſiacum, ad 27½. annos protractum finitur. | | |
| 3675¼. | VII. Artaxerxes Mnemon (*Memor.*) Darii Filius, poſt Patrem defunctum fit Rex Perſarum. Regnat annos 42. | 403½. | 94. 2. |
| 3678½. | Artaxerxes anno 3. Regni, Judæis novo diplomate in Patriam terram reditum concedit: & cultum divinum Hieroſolymis, Regiis ſumptibus inſtaurari mandat. [*Hinc ad Paſsionem Chriſti ſunt anni 434. ſive 62. Hebdomades*] Esdras clareſcit. | 400¾. | |
| 3681½. | Esdras poſtquam reliquis Judæis, qui captivitate Babylonica ſoluta in Aſſyria remanſerant, in Patriam terram redire perſuaſit, eosque juxta Diploma Regium [*jam dudum impetratum*] ex omni Regno Artaxerxis vix tandem collegit, menſe primo, Niſan, Hieroſolymam proficiſcitur. | 397½. | |
| 3682. | Esdras anno 7. Artaxerxis (*incipiente*) menſe quinto, (*Iudaico noſtro autem Auguſto*) venit Jeruſalem, cultum Divinum inſtauraturus. | 397¼. | |
| 3682¾. | Esdras menſe Nono (*Decembri*) anni Sabbatarii, comitia provincialia celebrat. Alienigenæ mulieres ex populo Iſraëlitico pelluntur. | 397. | |
| 3696. | Nehemias (*in Aula Perſica dictus Hathirſata*) anno 20. Artaxerxis Hieroſolymam proficiſcitur. Fit Dux populi (*Zorobabele priore Duce defuncto*) Hieroſolymorum muros (*interea per hoſtes, vicinas gentes, crebris incurſitationibus dilaceratos*) intra 52. dies reficit: Portasq; reponit. | 384. *labente.* | |
| 3697. | Anno proximo ſequente (21. *Artaxerxis*) Sabbatario, Lege | 383. *labente.* | |

| Anni Mundi. | | Ante Christ. | Ol. Ad. lab. |
|---|---|---|---|
| | Lege Domini per Eſdram toti populo prælecta, Tabernaculorum feſtum maxima ſolennitate celebratur. | | |
| 3708. | Anno 32. Artaxerxis, Nehemias poſt 49. annos reſtaurationis urbis, & Templi exactos, ad Regem revertitur. Sed poſt finem dierum *(h. e. proximo Sabbatario anno adveniente)* plenariam dimiſſionem impetrat [*ſecundum prælium cum Perſarum Principe (Dan. 10. v. 20.) hîc finiri, & feliciora tempora, usq; ad adventum Principis Græciæ (h. e. Regnum Macedoniæ & Syriæ) ſubſequi videntur*]. | 371¼. | |
| (7.) Anni 36½. 3718. | JUBILÆUS VICESIMUS QUINTUS. | 362 labens. | |
| 3717¾. | VIII. Artaxerxes Ochus, Artaxerxis Mnemonis Filius mortuo Patri in Regno Perſarum ſuccedit. Regnat annos 23. | 361½. | 104. 3. |
| 3740¾. | IX. Arſes *vel* Arſames, Ochi Filius Regnat poſt patrem annos. 3. | 338½. | 110. 2. |
| 3743¾. | X. Darius ultimus, dictus Codomannus, Arſis Filius Rex Perſarum ultimus. Regnat annos 6. Debellatur ab Alexandro Magno, occiditur à Beſſo, ſuo duce. | 335½. | 111. 1. |
| | *Eodem tempore Alexander Magnus, poſtquam, Philippus Pater ejus occiſus fuerat, Rex Macedonum declaratur. Regnat annos. 12. Intra quos totum penè terrarum orbem ſubegit.* | | |
| 3747. | Nehemias Manaſſen, Jadduæ ſummi Sacerdotis fratrem & Sanaballatæ, Satrapæ Samaritani generum, ſacerdotio Jeroſolymitano removet. [*Nehemias hic (qui inter reduces ſub Cyro non minor tricenario cenſeri poteſt, utpote, qui Authoritate tum magna pollebat, temporibus Alexandri Magni, videlicet aliquot) ultra 200: annos poſt captivitatem Babylonicam ſolutam adhuc in vivis eſt.* | 333. circiter. | |
| 3749. | Jadduæ ſummo ſacerdoti Alexander Magnus Iudæis iratus, cum omni clero, totoque populo obviam procedenti, reconciliatur, & Templo, Vrbi, atque omni populo, quorum exciſionem omninò decreverat, parcit. [*Hinc ad ultimam Hieroſolymorum vaſtationem ſunt anni 400.*] | 330¼. | |
| | Templum in monte Garizim juxta Samariam à Samaritanis, | | |

ritanis,

| Anni Mundi. | | Ante Chriſt | Ol. An. lab. |
|---|---|---|---|
| | ritanis, Hieroſolymitano ſimile, extruitur, ſtetit id annis 200. circiter. | | |
| 3750. | Alexander Magnus, victo Dario ultimo Perſarum Rege, Perſicam Monarchiam ad Græcos transfert. *Regnum Perſicum poſt Babylonem à Cyro captam, ſtetit annis 228.* | 329$\frac{1}{4}$. | 112. 3. |
| 3750. | Alexander Magnus ſe Regem Aſiæ conſtituit. Regnat inde annos 6. Moritur Babylone. | 325$\frac{1}{4}$. | 112. 3. |
| 3755$\frac{3}{4}$ | Mortuo Alexandro Magno, Monarchia ejus in plures, præcipuè tamen in 4. partes, ſcinditur. | 323$\frac{1}{2}$. | 114. 1. |
| 3767. | JUBILÆUS VICESIMUS SEXTUS. | 313 labens. | |
| 3768. | Seleucus Babylonem capit, annis 12. poſt Alexandri Magni mortem. *Ab hoc tempore non pauci annos Græcorum vel Seleucidarum ordiuntur.*] | 311$\frac{1}{4}$ | 117. 1. |
| 3770$\frac{3}{4}$ | Roxane, Alexandri Magni conjuge, & juniore Alexandro, ejus Filio, necatis, nulloque de Filiis Alexandri Magni amplius ſuperſtite, Duces, inter quos Regnum ejus fuerat diſtributum, Regum nomen ſibi imponunt. *Hinc, videlicet 15. annis poſt mortem Alexandri Magni, verum initium Annorum Regni Græcorum, in libris Maccabæorum, & apud Ioſephum Hiſtoricum, ſumitur.*] | 309$\frac{1}{2}$. | 117. 3. |
| | I. Ptolomæus Lagi Filius, Rex Ægypti (ſoter à nonullis dictus) ab hinc (ultra præcedentes 14. annos) regnat annos 25. Hic, Hieroſolymas dolo capit, multosq; captivos abducit. Cæteroquin erga Judæorum gentem benignus & clemens. | | |
| 3795. | II. Ptolomæus Philadelphus, Soteri Filius, Regnat in Ægypto annos 39. | 284. | 123. 4. |
| 3798. | *Hic, captivos Iudæos liberos dimittit. Biblia Hebræorum per 72. Seniores Iudæos (vulgò 70. Interpretes dictos) in linguam Græcam converti curat, eaq; ſua Bibliotheca (libros 500000. continenti)* apponit, | 281. | |
| (f.) Anni 156. 3816. | JUBILÆUS VICESIMUS SEPTIMUS. | 264 labens. | |
| 3834. | III. Ptolomæus Evergetes, Philadelphi Filius, Rex Ægypti, annis 25. | 245. | |
| 38.. | Antiochus Magnus, Rex Syriæ (qui Judæos plurimùm infeſtavit) regnat annos 37. | 221. | |

IV, Pto-

| Anni Mundi. | | Ante Chriſt. | Ol. Olym. |
|---|---|---|---|
| 3859. | IV. Ptolemæus Philopater, Evergetis Filius, Rex Ægypti annis 17. *Durus Iudaico populo.* | 220. | |
| 3865. | JUBILÆUS VICESIMUS OCTAVUS. | 215. *labens.* | |
| 3876. | V. Ptolemæus Epiphanes, PhiloPatri Filius, Rex Ægypti annis 23. | 203. | |
| 3895. | Antiochus Seleucus, dictus Philopater, Antiochi Magni Filius, Rex Syriæ, regnat patre mortuo, annos 12. | 184. | |
| 3899. | V. Ptolemæus Philometer, Epiphanis Filius, Rex Ægypti, regnat annos 37. | 180. | |
| 3907. | Antiochus Epiphanes, Antiochi Magni Filius (*quem à patre obſidem Romam miſſum, Seleucus frater, loco ipſius ſuo proprio Filio Demetrio tradito, redemit*) fratre Seleuco à ſuis incautè necato, incipit Regnare in Syria, Anno 137. Regni Græcorum. Regnat annos 12. Adverſus Judæos nimis crudelis. | 172. | |
| 3913. | Anno 143. Regni Græcorum, Antiochus Epiphanes ex Ægypto, cujus Reges fratres bello impetiverat, metu Romanorum recedens, aſcendit Hieroſolymam tanquam rem Sacram facturus, ſed multis Iudæorum trucidatis, Templum deprædatur. | 166. | |
| 3914. | IUBILÆUS VICESIMUS NONUS. | 166. *labens.* | |
| 3915¼. | Anno 145. Regni Græcorum, *Biennio poſt templum ſpoliatum,* Antiochus Epiphanes urbem Hieroſolymam dolo capit: eam plurimis Iudæorum interfectis, etiam ſpoliat. Ex civitate David arcem facit, & munitionem contra Iudæos; omnem cultum divinum crudeliſſima Tyrannide Sæviens, tollit: Religionem Græcorum per vim obtrudit: die 25. Casleu (*Decembris*) Templum abominanda idololatria prophanat. Huic Tyrannidi Mathatias Sacerdos cum Filiis ſuis ſe opponit. Et fit Dux populi. | 164. | 153. 4. |
| 3915¼. | Matathias Sacerdos de vice Ioarim, prima Sacerdotum de Filiis Aaron tribu, ex genere Aſſamonæorum, ſuſcepto principatu hoſtes fundit: fideles colligit: Et contra Tyrannidem Antiochi pugnat. | 164. | 153. 4. |
| 3916. | IUDAS MACCABÆUS, Matathiæ Filius, patre anno 146. | 163. | 154. 1. |

 Regni

| | Anni Mundi. | | Ante Christ. | Ol. | An. Lab. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | Regni Græcorum mortuo, principatum ſuſcipit, eique præ eſt annos 6. | | | |
| | 3918$\frac{3}{4}$. | Iudas anno 148. Græcorum, die 25. Casleu, eodem die quo Templum ante triennium fuerat prophanatum, id ipſum devictis hoſtibus, repurgat. | 161. | 154. | 3. |
| | 3919. | Antiochus Epiphanes ex adverſa valetudine tabeſcens, moritur anno 149. Græcorum. Ei Filius Antiochus Eupator dictus, natus annos 9. ſuccedit. Tutorem habet Lyſiam. | 160. | | |
| (5.) Anni 15. | 3921. | *Annus Sabbatarius incidit partim in annum 150. partim in 151. Regni Græcorum.* | 159. *labens.* | | |
| | | Demetrius Soter, à Seleuco patre datus obſes, è Roma profugit, anno 151. Gręcorum, annos natus 23. Et occiſo patruele Antiocho, ejusque tutore Lyſia, Regnat annos 9. | | | |
| | 3921. | Iudas Maccabæus init fœdus amicitiæ, cum Romanis, anno 151. Græcorum. [ *Primus Prodromus inclinationis Sceptri Iudaici ad Romanos*]. | 158. | | |
| | 3922. | Iudas Maccabæus anno 152. in prælio occumbit. Principatum ſuſcipit Ionathas ejus frater, eumque gerit annos 18. | 157. | | |
| | 3930$\frac{1}{4}$. | Alexander Antiochi Epiphanis Filius (*ut alii aſſerunt, ſubornatus pſeudalexander, qui ſe Antiochi, aut etiam Seleuci Filium mentiatur, aliàs Prompalus dictus*) occupat Regnum Syriæ, anno 160. Regni Græcorum. Regnat annos 6. Magno honore habet Judæos. | 149. | | |
| | 3930$\frac{1}{4}$. | IONATHAS feſto Scenopegiæ, menſe ſeptimo, Alexandro Rege permittente, ſuſcipit ſummum Sacerdotium. | 149. | | |
| | 3932. | Alexander victo & cæſo Demetrio Sotere, Cleopatram Ptolemæi Philometoris Filiam ducit uxorem, anno 162. Græcorum. | 147. | | |
| | 3935. | Demetrius Nicator (*vel Nicanor*) Demetrii Soteris Filius, ex Creta advenit, paternum Regnum repetiturus. | 144. | | |
| | 3936. | Ptolemæus Philometor, inhians Regno Syriæ, Alexandrum Generum bello petit, anno 166. Græcorum: Filium | 143. | | |

lium

liam ab eo abſtractam Demetrio dat nuptui: Sibi ipſi duo diademata, Ægypti & Syriæ, imponit: Alexan-
161. 154½ der ab Arabum Rege, ad quem confugerat, obtruncatur: Ptolemæus viſo Alexandri capite die tertio pòſt, moritur.

160. 3937. Demetrius anno 167. Græcorum, in Syria regnans Iudæorum genti plurima promittit, ſed fidem fallit. 142.

Ionathan amicitiam cum Romanis & Spartiatis quoque renovat.

159. Iubens. 3940. Triphon, Anno 170. Regni Græcorum, Ionatham perfidè captum, cum duobus Filiis necat. Idem pupillum ſuum, Antiochum Regem occîdit, & Regnum Syriæ ad ſe rapit. Simon, Filius Mathatiæ occiſo Ionatham fratre, operam ſuam loco fratrum peremptorum populo promittens, Ethnarcha & ſummus ſacer-
158. dos conſtituitur. Gubernat feliciter annos 7. & parum ultrà. Anno ejus primo, Iugum gentium ablatum eſt ab Iſraël. 139.

157. (u.) Anni 44. $3940\frac{2}{3}$. Simon Anno 171. Græcorum, Arcem Hieroſolymitanam, olim civitatem David dictam, expugnat: Præſidium gentiū: ejicit Iudæi eam die 23. ſecundi Menſis repur-
149. gant: Eandem deinde, ne amplius contra ipſos fiat hoſtibus præſidium, funditùs evertunt: Montem quoque in defeſſo totius Triennii labore, ut Templum undiquaque ſuperemineat, humiliant. $138\frac{2}{3}$.

3942. Demetrius Nicator, anno 172. Græcorum, contra Triphonem pugnaturus, capitur, & à Rege Perſidis & Mediæ captivus aliquandiu detinetur. 137.

149. 3944. Antiochus Sedetes, Demetrii Soteris Filius, Nicatoris Frater, Triphonem regno pellit. Triphon in Apamia, urbe à ſe capta, interficitur. 135.

147. $3947\frac{1}{3}$. Johannes Hircanus (*dictus Hircanus Major vel Primus*) ſuccedit Ethnarcha & ſummus Sacerdos Patri Simoni, dolo & perfidia Ptolemæi (*cujusdam*) ſui generi, men-
144. ſe undecimo anni 177. Regni Græcorum capto, & cum duobus Filiis atq; conjuge ſua occiſo, Imperat annos $26\frac{3}{4}$. plus minus. $131\frac{2}{3}$. 161. 4.

143. 3948. Antiochus Sedetes, anno Regni ſui quarto, & anno Hircani primo, (*Sabbatario*) obſidet Ieruſalem, ſed $131\frac{1}{4}$. 162. 1.

 rogatus,

| Anni Mundi. | | Ante Christ. | Ol. An. lab. |
|---|---|---|---|
| | rogatus, nec minus pietate motus, non modò inducias 7. dierum ad feſtum Scenopegiæ concedit, ſed etiam victimas ad ſacrificia ſuppeditat. Tandem 300. talentis placatus obſidionem ſolvit. Hyrcanus aperto Davidis Regis monimento, 3000. talentorum inde profert. | | |
| 3954. | Hyrcanus Templum ſuper montem Garizim juxta Samariam, ad æmulationem Templi Hieroſolymitani ante 200. annos extructum, deſtruit. | 126. circiter. | |
| 3957. | Hyrcanus cum Romanis amicitiam renovat. | 123 circiter. | |
| 3961. | Hyrcanus Samariam, urbem munitiſſimam obſidione ultra annum cinctam, capit & ſolo adæquat. | 119. circiter. | |
| 3963. | JUBILÆUS TRICESIMUS. | 117 labente. | |
| 3974. | Ariſtobulus, Ioannis Hyrcani Filius, *Dictus* Φιλέλλην, Patri mortuo ſuccedit. | 105. | |

| | | | |
|---|---|---|---|
| 3974. | Ariſtobulus Johannis Hyrcani Magni F. Ethnarchiæ & ſummi pontificatus Judæorum dignitate non contentus, primus Regium Diadema reſumptum ſibi imponit, ſeq; Regem Iudæorum conſtituit, annis poſt captivitatem Babylonicam ſolutam 431. Sed poſt Regium nomen in Zedekia per Nebucadnezarem ſublatum, annis 501. Regnat annum unum. Matrem in carcere fame necat: Fratrem Antigonum in Regni conſortium receptum, inſontem occîdi facit: ditionem Judæorum auget. | 105. | |
| 3975. | Alexander Jamnæus, Iohannis Hyrcani Filius, Ariſtobuli Frater, à Salome ejus uxore vidua, loco mariti defuncti, Rex & Pontifex ordinatur. Regnat annos 27. unum ex fratribus ſibi inſidiantem tollit: alterum Abſolomum nomine, privata vita contentum in honore habet: propter crudelitatem Thracidæ cognomen meruit: Ex temulentia morbo contracto, quartana triennium laborans, extinguitur. | 104. | |
| 4002. | Alexandra, Alexandri Jamnæi conjunx, Regnum ex Teſtamento ſuſcipit. Regnat annos 9. Pontificatum Hyrcano II. Filio natu majori commendat. Phariſæorum ſectæ addicta, ex eorum nutu pleraq; adminiſtrat. | 77. | |

Poſt

| Anni Mundi | | Anni Chriſt. | Ol. An. lab. |
|---|---|---|---|
| 4011. | Poſt Alexandram Reginam mortuam, Hyrcanus II. ejusque frater Ariſtobulus, natu minor, varia viciſſitudine & fortuna, ſummo Sacerdotio & Regno præſunt. | 68. | 177. 3. |
| | Ariſtobulus poſt 3. Menſes à matris obitu, Hyrcanum fratrem Regno & Pontificatu dejicit. Ipſe regnat Rex & ſummus Sacerdos annos 6. circiter. | | |
| 4012. | JUBILÆUS TRICESIMUS PRIMUS. | 68 *labens.* | |
| 4016¾. | Hyrcano & Ariſtobulo fratribus coràm Pompejo Magno (*Mithridatem perſequente*) de Regno & Pontificatu Judæorum litigantibus, Pompejus Hieroſolymam, ex qua ab Ariſtobulo, contra pactum fuerat excluſus, oppugnat: Eadem die Jejunii, 16. Tamuz quarti menſis (4. Iulii) eoq; Sabbato, expugnatam capit: Ingreditur Templum. Hyrcanum Regno reſtituit: Ariſtobulum verò captivum Romam miſſum, pòſt in Triumpho ducit [*Ab hoc fratrum diſſidio, eoq; à Romano duce & Imperatore compoſito, ſceptrum Iudaicum omninò ad Romanos inclinare incepit*]. | 62½. | 179. 2. NB. |
| 4021. | Ariſtobulus Româ profugit: Hyrcanum fratrem loco denuò pellit: Regno & Sacerdotio ipſe annos 3½. potitur. | 59. *labente.* | |
| 4025. | Gabinius (*qui Authoritate Pompei contra ſenatus Romani decretum, Ptolemæum in Regnum Aegypti reduxit*) Ariſtobulum iterum captum, cum Filio Antigono Romam mittit: Hyrcanum Regno & Sacerdotio iterum præficit. | 55. *labente.* | |
| 4027. | M. Craſſus contra Parthos exercitum ducens, in tranſitu per Syriam & Iudæam, Templum Hieroſolymitanum (anne 10. annos à Pompejo intactum) ſpoliat. Brevi pòſt apud Parthos cum Filio & univerſo exercitu ad internecionem cæditur. | 53. *labente.* | |
| (x.) Anni 69. 4031. | Bellum civile apud Romanos exardet, idq; 20. annos durat Pompejus Magnus patriam & Italiam relinquit. C. Iulius Cæſar Ariſtobulum Iudæorum Regem, liberum dimittit, eiq; duas cohortes addit, ut ad verſus Pompejum aliquid moliatur. Sed is à Pompeianis veneno citò tollitur. | 49. *labens.* | 182. 3. |
| 4032. | Pompejus poſt cladem Pharſalicam in Ægyptum profugien- | 47¾. | 183. 1. |

 gien-

| Anni Mundi | | Ante Chriſt. | Ol. Anlab. |
|---|---|---|---|
| | giens, à Ptolemæi Regis (*quem nuper per Gabinium regno reſtituerat*) Filio jugulatur. C. Iulius Cæſar Monarchia Romana potitur. | | |
| 4033. | C. Iulius Cæſar, devicta Ægypto, Antipatrum Idumæum (virum ſanè pium & Hyrcani II. amicum fidiſſimum, attamen alienigenam) Procuratorem Judææ Romana authoritate & poteſtate declarat: Hyrcano, & pontificatum, & Regnum confirmat: Antipater Herodi Filio ſuo, annorum 15. (25.) Galilæam curandam committit. Inde ſub Hyrcano & Antipatro in Iudæa aliquandiu pacificè regnatur. [*A captivitate Babylonica ſoluta, ad hanc nimis apertam Sceptri Iſraëlitici ad Romanos defectionem ſunt Anni 490*]. | 47. | 183. 1. |
| 4035$\frac{1}{2}$. | C. Iulius Cæſar, cùm imperaſſet annos 3$\frac{1}{2}$. in Senatu Romæ, Idibus Martiis occiditur. | 4$\frac{1}{4}$. | 183. 4. |
| 4037. | Auguſtus Octavius primum conſulatum init, die 19. Menſis Auguſti, anno ætatis 20. nondum plenè completo. Hinc numerantur anni 56. Imperii Auguſti. Non diu pòſt, nimirum 5 Cal. Decemb. Triumviratus Auguſti, Antonii & Lepidi incipit: Is durat annos 12. Herodes, eodem anno à M. Criſpo præſide Syriæ, & C. Caſſio (qui ibidem nomine Senatus Romani Magna pollebat auctoritate) Dux totius Cœloſyriæ renunciatur, eiq; poſt Bellum civile finitum, Regnum promittitur. [*Hinc ad ultimam Hieroſolymorum vaſtationem ſunt anni 112*]. | 42$\frac{1}{3}$. | 184. 1. |
| 4038. | Herodes ejusq; frater Phaſaelus, Antipatri (*nuper doloſè veneno necati*) Filii ab Antonio Triumviro, Tetrarchæ Iudææ conſtituuntur. | 42. | |
| 4040. | Hyrcanus Rex & Pontifex Iudæorum, à Parthis captus, in Parthiam abducitur: Antigonus Ariſtobuli, fratris Hyrcani Filius, Rex & Pontifex proclamatur: Antigonus Hyrcanum patruum, ut porrò huic dignitati inhabilis eſſet, auriculis dentibus ſuis abſciſſis, mutilat: Herodes vix elapſus, Romam media hyemo profugit. | 40. labente. | |
| 404$\frac{1}{4}$ | Herodes Romæ ab Antonio & Auguſto, totoq; Senatu Rex Iudææ creatur: *Ab hoc tempore, primo initio Regni ſui* | 39. | 185. 1. |

| Anni Mundi. | | Ante Christ. | Ol. An. Iub. |
|---|---|---|---|
| | *ſui, regnavit annos 37. vel ad annum 37. h. e. annos 36. & aliquantum ultrà ).* | | |
| 4043. | Herodes anno 3. à renunciatione, Hieroſolymam expugnat: Antigonum Pontificem & Regem, vivum, Antonio mittit; Hic eum cruci alligatum, flagrisq; cæſum ) quo ſupplicio nullus Rex à Romanis fuit affectus ) jugulat, ſecurive percuſſum interimit. [ *Gubernatio & Regnum Aſſamonaorum deſiit, à Matathia poſt annos 127½. ferè. & à repurgato per Iudam Maccabæum Templo, poſt annos 124½. fermè: à capta verò per Pompejum Hieroſolymorum urbe, poſt 26. annos*]. Herodes ( Hinc *Herodes Magnus dictus* ) ab hac Regni Iudæorum, Metropolisq; occupatione, regnavit annos 34. ( *vel annos 33⅔. quàm proximè* ) *Et hoc eſt ſecundum Regni ipſius Initium.* | 36⅓. | 185. 3. |
| 4043. | Antigono Rege & Pontifice Judæorum ſublato, Herodes Rex, Ananelum quendam, obſcuro genere ex Babylone oriundum, ſummo Sacerdotio præficit: Eoq; brevi abrogato, Ariſtobulum, Mariamnes conjugis ſuæ, Hyrcani II. ex Filia neptis fratrem, atque Alexandri Iamnæi, ex Filio Alexandro nepotem, Pontificem facit, juvenem annorum 16. | 36¼. | 185. 3. |
| 4044. | Ariſtobulus Pontifex annorum 17. feſto ſcenopegiæ, ex inſidiis Herodis, in piſcina, in quam recreationis gratia deſcenderat, ſuffocatur: Ei Ananelus ab Herodæ rurſus ſufficitur. | 5¼. | |
| 4048¾ | *Bello Actiaco Auguſtus Antonium ſuperat, anno Triumviratus 12. completo.* | 30⅓. | 187. 2. |
| (y.) Anni 6. 4049. | Herodes Anno Regni 6 completo, vel anno 7. incipiente, poſt captam Hieroſolymam, & Regem Antigonum ſublatum, Hyrcanum II. Mariamnes conjugis ſuæ avum maternum ) ne quis inter primores de ſtirpe Aſſamonæorum, vel Regia proſapia Iudæorum, cujus Authoritatem pertimeſcere neceſſe haberet, ſupereſſet) falſam in eum confingens cauſam, octogenarium indigniſſimè tollit. Ipſe ab Auguſto, poſt victoriam Actiacam in Rhodo commorante, in Regno | 30¼. | |

non

non tantùm Imperatorio decreto, & Senatus conſulto confirmatur, ſed multa etiam alia Regni portione ſuperaddita donatur. Ab hac omnimoda ablatione Sceptri à Judæis, & ejus in Herodem (*alienigenam, vel certè non niſi ſemi Iudæum aut proſelytum, utpote Idumæum*) translatione, Tertiū Regni Herodis Initium ſumitur. [ *A ſecundò anno Darii Nothi & initio 70. Hebdomadum Danielis, ad hanc finalem ſceptri à Iudæis ablationem, ſunt anni 390. Reſtant ad ultimam Iudaici populi, urbis & Regni finalem exciſionem, anni 100.* ]

---

| Mundi Anni | | Ante Chriſt | Ol. An. lab. |
|---|---|---|---|
| 4049. | Herodes in Regno plenè confirmatus multa præclara & magnifica opera aggreditur & perficit: In multis ſe ſæviſſimum Tyrannum demonſtrat. | $30\frac{1}{4}$. | 187. 2. |
| 4060. | Herodi anno 17. Regni ( *à ſecundo ejus initio* ) labente vel anno 10. ( *à Tertio ejusdem initio* ) completo, Auguſtus Regiones plures extra Iudæam donat, eumque maximo honore habet. | 20. *labente.* | 189.4. |
| 4061. | IUBILÆUS TRICESIMUS SECUNDUS. | 19. *labens.* | |
| (2.) Anni 14. | Herodes hoc anno, qui eſt annus 18. Regni ( à ſecundo ejus initio ) populo Iudaico in concionem convocato ( *in Comitiis hujus Sabbatarii, ſimulq; Iubilæi anni, provincialibus & ordinariis* ( exponit, quam providentiam obſequio pietatis impenderit, & quodnam propoſitum animo conceperit; nimirum de Refectione, ampliatione, atque ab ipſis fundamentis reſtauratione, ſeu potiùs de Nova Extructione Templi Ieroſolymitani, quin & de ejusdem Exaltatione ad priſtinam & primam celſitudinem, primæ Salomonis Templi altitudini æqualem. | | |
| 4063. | Herodes anno 15. labente, ( *vel 14. completo, à tertio initio* ) Regni, omni materia ad futurum Templi ædificium præparata, Templum, ſublatis veteribus fundamentis, & novis repoſitis, duplo etiam addito ſpatio, reſtituere vel potiùs reædificare incipit. Unde id non immeritò, Tertium ſive Noviſſimum Templum dici poteſt. [ *Ab hoc anno ad initium ultimi Iubilæi Iudaici, ſunt anni 46. Ioh. 2. ỿ. 20.* ] | $16\frac{3}{4}$. | 190.4. |

| Anni Mundi. | | Ante Chriſt. | Ol. Ann. lab. |
|---|---|---|---|
| 4063. | Templum Ieroſolymitanum renovatur. | $16\frac{1}{4}$. | 190.4. |
| $4073\frac{3}{4}$ | Gabriel Archangelus Zachariæ Sacerdoti de vice Abia, octava Sacerdotum Tribu [circa vel poſt ſolſtitium æſtivum] annunciat Joannem Baptiſtam, Messiæ præcurſorem, ex ipſo naſciturum. Zacharias, qui Angeli verba in dubium vocat, obmuteſcit. | $5\frac{1}{2}$. | 193. 3. |
| $4074\frac{1}{4}$ | Idem Angelus Gabriel Divæ Virgini Mariæ, natæ de de domo David, deſponſatæ Ioſepho, itidem de domo David oriundo, poſt ſex menſes [circa ſolſtitium Hybernum] annunciat, ipſam ex Spiritu Sancto conceptura, & parituram Messiam Mundi, cujus nomen ſit Jesus [*Ab Immolatione Iſaac huc uſq; ſunt anni 2000. minus quadrante.*] | 5. | 193. 3. |
| $4074\frac{1}{2}$ | Johannes Baptiſta naſcitur [*circa æquinoctium vernum*] in medio Anni Sabbatarii [*Ab Immolatione Iſaac huc uſq; ſunt anni 2000.*] | $4\frac{1}{2}$. | 193. 3. |
| $4074\frac{3}{4}$ *Verus Natalis Christi.* | Jesus Christus Salvator Mundi, promiſſus ab orbe condito, expectatus à Seculo, naſcitur in Bethleem, ex Virgine: Denunciatur ab Angelis paſtoribus viciniæ noctu vigilantibus: in fine Anni labentis Sabbatarii [*circa æquinoctium Autumnale*] [*Ab Immolatione Iſaac huc uſq; ſunt anni* $2000\frac{1}{2}$.] | $4\frac{1}{4}$. | 193. 4. |

(α.) Anni 12.

| | | Poſt Chriſt. | |
|---|---|---|---|
| 4075. | Poſt dies Purificationis Mariæ, Chriſtus Hieroſolymis in Templo offertur: Excipitur ulnis, & decantatur à Simeone, ſene & juſto: Prædicatur ab Anna Propheteſſa (nata ad minimum annos 106.) | $4\frac{1}{4}$. | 193. 4. |
| | Magi ex Oriente ductu Stellæ venientes, adorant Chriſtum Regem Judæorum in Bethleem. | | |
| $4075\frac{1}{3}$. | Joſeph monitus ab Angelo, ut inſidias Herodis, Chriſtum infantem occidere volentis, evitet, cum Maria Matre, & infante Chriſto [*nato menſes 4. vel 5. circiter*] *in Aegyptum profugit*: Herodes crudeli laniena in infantes pueros Bethlehemiticos, ejuſq; viciniæ, bimulos & natu minores, ſævit. | $3\frac{5}{8}$. | |
| $4076\frac{1}{3}$ | Herodes Infanticida, moritur, anno ætatis 70. poſtquam Romæ Rex renunciatus fuerat, anno 37. labente: at poſt captas Hieroſolymas, & ſublatum Antigonum | 3. *fere* | 194. 1. |

| | Anni Mundi. | | Poſt Chriſt. | Ol. An. lab. |
|---|---|---|---|---|
| | | anno 34 labente: ſed poſt Hyrcanum II. Socerum ſuum obtruncatum, bellumq; Actiacum, anno 28. itidem labente: Hinc quoque ad annum 20. Tiberii ſunt anni 37. | | |
| | | Herodi non adeò diu ante paſcha mortuo, ſuccedunt Filii: Archelaus, non Rex ſed Tetrarcha Judææ, annis 9. Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ, annis 40. atque Philippus Tetrarcha Ituraæ, annis 37. | | |
| (β) Anni $4\frac{1}{2}$. | $4076\frac{1}{2}$ | Joſeph cum Chriſto infante, ejusque matre circa vel ante paſcha, priusquam Archelaus Romam pro Teſtamenti Paterni confirmatione profectus eſt, ex Ægypto, oraculo monitus, revertitur. Commoratus eſt in Ægypto menſes 14. circiter. *Hinc ad ultimam Hieroſolymorum vaſtationem ſunt anni $72\frac{1}{2}$.* | $2\frac{1}{4}$. | |
| | $4079\frac{1}{4}$ | *Vſuale & vulgò receptum initium annorum Chriſti, tanquam hìc nati, atq; uſitata Chriſtianorum Epocha anno 42. Imperii Auguſti Imperatoris completo.* | 0. | 194. 4. |

| | Anni Mundi. | | Anni poſt uſitatam Epochè Chriſti. | Ol. An. lab. |
|---|---|---|---|---|
| | $4079\frac{1}{4}$ | Epocha vulgaris annorum Chriſti. | 0. | 194. 4. |
| | 4086. | Archelaus Ethnarcha Judææ, Romæ accuſatus, ab Auguſto trans Alpes Viennam Galliæ relegatur, anno 9. poſt Patris Herodis mortem, & anno 37. poſt bellum Actiacum. | 7. labente. | 196. 2. |
| | $4086\frac{1}{2}$. | Chriſtus annorum 12. ($11\frac{1}{2}$.) Hieroſolymis in Templo cum Doctoribus diſputat. [*Amiſſus à parentibus invenitur in Templo., die 26. Niſan. (21. Aprilis) Sabbato, ab initio 70. Hebdomadum Danielis, annis $427\frac{1}{2}$* | $7\frac{1}{4}$. | 196. 3. |
| | 4093. | Auguſtus Imperator, anno ætatis 76. (*minus 35. diebus*) completo, Imperii verò à primo conſulatu, anno 56. & à victoria Actiaca anno 44. quàm proximè etiam completo, moritur die 19. Auguſti menſis. Ei ſuccedit Tiberius Imperator annis $22\frac{2}{3}$. | $13\frac{2}{3}$. | 198. 2. |
| (γ.) Anni $2\frac{3}{4}$. | 4106. | Portius Pilatus fit præſes Judææ, præſidet uſque ad mortem Tiberii, annis 10. | 27. labente. | 201. 3. |
| | $4107\frac{1}{2}$. | Anno 15. Tiberii Imperatoris, *labente*, Iohannes Baptiſta ad munus prædicandi & Baptizandi divinitùs vocatur [*circa æquinoctium vernale.*] | $28\frac{1}{4}$ | 201. 4. |

Seme-

| Anni Mundi. | | Chriſt. Poſt | Ol. An. Iub. |
|---|---|---|---|
| 4108. | Semeſtri pôſt *circa Aequinoctium autumnale*] Chriſtus annorum circiter (ὡσεὶ) 30. (*h. e. cenſebatur vir non minor quam 30. annorum, ideò à miniſterio ætas, juxta præſcriptum Num 4. & exemplum 1. Paral. 23. verſ. 3. eum non prohibebat: Complevit autem Chriſtus tùm annos 33.*) à Johanne baptizatur, & Miniſterii ſui munus obire incipit. *Hoc anno agebatur annus 46. ab Extructione Tertii Templi Iohan. 2.* | $28\frac{3}{4}$. | 202. 1. |
| 4109. | Johannes Baptiſta circa vel Paulò ante initium ſequentis Anni Sabbatarii, ſimulq; Iubilæi, ab Herode Antipa carcere includitur. | $29\frac{3}{4}$. | 202. 2. |
| 4109. | JUBILÆUS TRICESIMUS TERTIUS. incipit, isq; à populo Judaico ante ipſorum exciſioné ultimus celebratur. Circa hujus Jubilæi initium Chriſtus in Nazareth Patria ſua concionatur ex Eſaiæ c. 61. Hunc politicum Iubilæũ cum Iubilæo ſpirituali comparans. [ *Ab Extructione ſecundi Templi, ſive initio 70. Hebdomadum Danielis bucusq; ſunt anni 450. Reſtant ad ultimam urbis & Templi deſolationem (juxta Matth. 12. v. 40. Matth. 16. v. 4. Luc. 11. v. 30. Ionæ 3. v. 4.) anni 40.*] | $29\frac{3}{4}$. | 202. 2. |
| (8.) Anni $3\frac{1}{2}$. 4112½. | Chriſtus, poſtquam in his terris vixit annos $37\frac{1}{2}$ & miniſterio functus eſt annis $4\frac{1}{2}$ pro ſalute generis humani paſſus, in cruce mortuus, & ſepultus eſt, *die 23. Aprilis feria ſexta, Luna XV.* Reſurrexit expiato peccato, & devicta morte, *25. Aprilis die Dominica*: Adſcendit ad Cœlos *3. Iunii, feria quinta*: Miſitq; Spiritum ſanctum die Pentecoſtes *13. Iunii, die Dominica.* | $33\frac{3}{4}$. | 203. 1. |
| | Stephanus protomartyr lapidatur. Paulus, qui antea Saulus Eccleſiæ & Chriſto credentium perſequutor, convertitur, anno primo poſt Chriſti paſſionem. | | |
| 4113. | Philippus Tetrarcha Ituræ, Herodis Magni Filius, moritur anno 20. Tiberii, ſuæ verò Tetrarchiæ, poſt patris mortem anno 37. | 34. | |

| Anni Mundi. | | Post Christ. | Ol. A. lab |
|---|---|---|---|
| $4115\frac{1}{2}$. | Tiberius Imperator moritur, 26. Martii anno ætatis 78. Imperii 23. | $36\frac{1}{4}$. | 203.4. |
| | Cajus Caligula fit Imperator. Regnat annos 4. | | |
| | Herodes Agrippa, Herodis Magni ex Filio Ariſtobulo nepos, dictus Agrippa Major, deſignatur Rex, eique traditur Tetrachia Philippi Patrui (*ſine liberis mortui*) & Tetrarchia Liſaniæ. | | |
| 4116. | Herodes Antipas, Herodis Magni Filius (*qui Ioh. Baptiſtã decollaverat, & Chriſto in Paſſione illuſerat*) cum Herodiade à Cajo Imperatore in Exilium, Lugdunum Galliæ, vel in Hiſpaniam deportari jubetur. | 37. | |
| (1.) Anni $36\frac{1}{2}$. 4117. | Credentes in Chriſtum primùm Antiochiæ CHRISTIANI nominari cæperunt. | 38. *circiter.* | |
| | Agabus Propheta famem prædicit. | | |
| $4119\frac{1}{3}$. | C. Caligula Imperator occiditur 24. Ianuarii, anno Imperii 4. | 40. | 204.4. |
| | Claudius Imperator, ſuccedit annis 14. ferè. | | |
| 4122. | Herodes Agrippa, Major ille (*qui Iacobum Majorem Apoſtolum, fratrem Ioannis occiderat*) annis 7. Regni completis, ab Angelo percuſſus moritur, anno ætatis 54. Ei ſuccedit Filius Agrippa Iunior, natus annos 17. | 42. | |
| 4128. | Primum Concilium Apoſtolorum Ieroſolymis celebratur, anno 15. converſionis Pauli. | 49. | |
| 4133. | Nero fit Imperator, Claudio 13. Octobris mortuo. Imperat annos ferè 14. | $53\frac{3}{4}$. | 208.2. |
| $4141\frac{1}{2}$. | Annis 4. ante bellum Iudaicum, rebus omnibus pacatis & tranquillis, *Ieſus* quidam Anani Filius, tragico clamore de interitu urbis & populi prædicare incipit, eumque clamorem totos 7. annos & 5. Menſes continuat. | $62\frac{1}{4}$. | |
| $4146\frac{3}{4}$ | Galba à 9. die Iunii, quo Nero periit, imperat menſes 7. dies 6. | $67\frac{1}{2}$. | 211. 3. |
| $4147\frac{1}{4}$ | Vitellius die 2. & 3. Ian. ſalutatur Imperator. Imperat menſes vel 9. vel 12. ferè. | 68. | 211. 4. |
| | Galba occiditur ab Ottone, die 15. Ianuarii. Otto à cæde Galbæ imperat dies 95. Interficit ſeipſum die 20. Aprilis. | | |
| $4147\frac{3}{4}$. | Veſpaſianus ſalutatur Imperator ab exercitu in Iudæa, Calend. Junij. | $68\frac{1}{2}$. | 212. 1. |

Uitellius

| Anni Mundi. | | poſt Chriſt. | Ol. An. Iub. |
|---|---|---|---|
| 4148$\frac{3}{4}$. | Vitellius à militibus Veſpaſiani occiditur, vel 5. Octob. vel 24. Decembr. | 69. | |
| 4149. | Urbs Ieroſolymorum, à Tito, Veſpaſiani Filio, anno Imperii Patris ſecundò, capitur, vaſtatur, ſolo & ipſa, & Templum æquatur. Totus populus Judaicus, omni perdita eorum politia, excinditur. | 69$\frac{3}{4}$. | 212.2. |

## d hanc ultimam, Triſtiſſimam & finalem urbis Hieroſolymorum vaſtationem, Templi Domini deſolationem, & populi Judaici abjectionem, numerantur.

| | Anni | | Anni |
|---|---|---|---|
| *Mundi creatione.* | 4149. | *A Templo per Iudam Maccabæum repurgato.* | 230$\frac{3}{4}$. |
| *Diluvii Initio.* | 2493. | *A Regia Dignitate apud Iudæos repetita.* | 175. |
| *vocatione Abrahæ.* | 2125$\frac{1}{2}$. | *A captis per Pompejum Magnum Hieroſolymis.* | 132$\frac{1}{4}$. |
| *b Immolatione Iſaaci.* | 2074$\frac{1}{2}$. | *A captis per Herodem Regem Hieroſolymis.* | 106. |
| *b Ingreſſu Iſraelitarum in terram ſanctam.* | 1656. | *Ab omnimoda Sceptri à Iudæis ablatione.* | 100. |
| *lb Extructione Templi Salomonis ſeu primi.* | 1103$\frac{1}{2}$. | *A tertii Templi extructione.* | 86. |
| *Diviſione Regni Salomonis.* | 1066. | *A CHRISTO nato.* | 74. |
| *A Deſtructione primi Templi & initio Captivitatis Babylonicæ.* | 676. | *A reditu Chriſti ex Aegypto.* | 72$\frac{1}{2}$. |
| *A reditu ex Babylone.* | 606. | *Ab Epocha vulgari Annorum Chriſti.* | 69$\frac{3}{4}$. |
| *Ab Extructione ſecundi Templi & initio 70. Hebdomadum Danielis.* | 490. | *Ab ultimi Iubilæi initio.* | 40. |
| *Ab Alexandro Magno per Iadduam reconciliato, Temploq; & urbe à deſolatione ſervatis.* | 400. | *A Paſſione & Morte Chriſti.* | 36$\frac{1}{2}$. |

## Numeri Harmonici, itemq; Myſtici, in præcedentibus Chronologicis Tabulis animadverſi, & corollarii loco hîc conſignati.

4149. Magna Mundi periodus à creatione Rerum, ad ultimam Templi Ieroſolymitani deſolationem, urbis everſionem, & populi Iſraelitici (qui

ci (qui fuerat Electus populus DEI) abjectionem continet annos 4149.

3000. Samuel Propheta moritur circa annum Mundi 3000.

2074½. 2074½. } 2074½ annis { poſt creationem Mundi. / ante Excidiū Populi & urbis, & Templi DN. } h.e. in medio magnæ illius Mundi periodi, Iſaac à Domino præcipitur immolari in Monte Moria, quo Templum Domini in Hieroſolymam per Salomonem fuit extruendum, & poſtea extructum.

2074½. 2074½ anni numerantur ab Anno Mundi 2000. circa quod Tempus Abraham primum ex Ur Chaldæorum evocatus cenſetur: uſq; ad Chriſtum incarnatum.

2000. Circa Annum Mundi 2000. (ut modò dictum) Abraham primùm à Domino vocatus ex Ur Chaldæorum egreſſus cenſetur.

2000. Ab Immolatione Iſaac ad Chriſtum incarnatum ſunt anni 2000.

1656. Mundus à creatione ad initium Diluvii, &

1656. Politia Iſraëlitica, à primo ingreſſu in terram Canaan, ad ultimum excidium ſtetit 1656. annos.

1656. Totidem, vid. 1656. anni numerantur ab egreſſu Iſraëlitarum ex Ægypto, quo tempore ipſi in Deſerto veſci cæperunt Manna: uſque ad ſecundum annum prædicationis Chriſti, ultimumque Iubilæum, quo inter alia, Chriſtus 5000. viros (præter mulieres & parvulos) in deſerto pavit & ſatiavit quinq; panibus: & ſeſe eſſe verum Manna, panem cælitùs datum teſtatus eſt.

1000. A Cœlo juxta ſermonem Eliæ, clauſo, ne plueret, ad ultimam Hieroſolymorum vaſtationem. 1000.

987. 987. } Annis 987. { poſt creationem Mundi Henoch / Ante excidium ultimum Ieroſolymorum, Elias } rapitur vivus in Cœlum.

987. Annis 987. poſt Templum Domini primò à Siſaco, ſub Rehabeamo, iraſcente Domino, ſpoliatum, Chriſtus ut in integrùm omnia reſtituat, de Cœlo deſcendens incarnatus eſt.

837. Numerus 837. ad admirationem (ut videtur) myſticus eſt. Hunc reddunt Literæ vocabuli לְםַרְבֵּה (Iſaiæ 9. verſ. 7.) reſolutæ in numeros. Eo loco Propheta de æternitate Regni Chriſti concionatur. Etſi autem ſuperſtitione non carere videatur, ſi quis in hoc vocabulo (in quo Litera Mem finalis, contra regulas Grammaticas, in medio dictionis invenitur, nec aliud ſimile exemplum in totis Bibliis extet) quodpiam myſterium quærere velit, cujuſmodi myſteria diverſi diverſa ex eo colligunt. Certum tamen eſt, quòd poſt diluvium inchoatum, usque ad princi-

principiū Terræ ſanctæ trans Jordanem ab Iſraëlitis, ſemeſtri ante mortem Moſis occupatæ tot Anni ſint elapſi: hoc eſt, DEUS 857. annis poſt omnis carnis per cataclyſmum internecionem, inchoaverit peculiare Regnum, Eccleſiaſticis & Politicis Legibus, ſeipſo præſente gubernandum, quod ſubſequuturi æterni Regni Chriſti typus eſſet.

Ab ablato Regio titulo & Nomine in Zedechia per Nebucadnezarem, ad eandem Dignitatem ab Ariſtobulo Pontifice, Hyrcani Magni Filio, repetitam, ſunt Anni 500. & unus: ante Chriſti incarnationem anni 100.

0. Iſraëlitæ ab ingreſſu in Terram Chanaan, vivunt ſub Iudicibus, usq; ad annum 22. Samuelis, incluſivè, annis 490.

00. Iidem ſub Samuele & propriis Regibus, poſt 22. Samuelis annum, qui fuit Iubilæus Decimus (cujus initio omne jugum vicinarum gentium abjecerunt) usque ad captivitatem Babylonicam, finemq; viceſimi Jubilæi, vivunt annis 490.

90. A ſecundo Anno Darii Nothi, quo Judæi poteſtatem reficiendi Muros Hieroſolymorum, & reædificandi Templi acceperunt usque ad Noviſſimi Templi, & urbis vaſtationem, ſunt, juxta 70. hebdomadas Danielis, anni 490.

90. Ab anno dedicati Templi Salomonis, excluſivè, ad finitam captivitatem Babylonicam, ſunt anni 490.

90. A ſoluta captivitate Babylonica ad Antipatrum, Idumæum (Herodis Magni patrem) quem J. C. Romana Autoritate & plenaria poteſtate (evidentiſſimo argumento labaſcentis & imminutæ Authoritatis Sceptri Judaici) Procuratorem Judææ conſtituit, ſunt anni 490.

80. Noæ annorum 480. Dominus prædicit Diluvium venturum, eiq; ut Arcam, quo conſervetur, ædificet præcipit.

80. Annis 480. poſt terram Chanaan plenè occupatam, Salomon fundamenta Templi in Jeruſalem ponit.

50. A morte Joſuæ, ad captam à Philiſtæis Arcam Domini, ſunt anni 450.

450. Ab initio captivitatis Babylonicæ ad fœdus Judæ Maccabæi, cum Romanis initum, hoc eſt ad Romanos primò ſuper Terram Juda invitatos: ſive ad primum prodromum inclinationis Sceptri Iudaici ad Romanos, ſunt anni 450. (minus duobus.)

450. Ab initio 70. Hebdomadum Danielis, ſive à Templi ſecundi ſtructura reſumpta, ad ultimum Iudæorum Iubilæum, ſeu ſecundum annum prædicationis Chriſti ſunt anni 450.

450. A ſecundo Templo per Zorobabelem, ſub Dario Notho abſoluto, ad Paſ-

ad Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti, h. e. ad Templum corporis Chriſti deſtructum, & intra triduum reſuſcitatum, ſunt anni 450. (minus uno).

430. Peregrinatio Iſraëlitarum & Patrum eorum in Terra Canaan, & in Ægypto, duravit annos 430.

430. Iſraëlitæ ſub Iudicibus, à morte Ioſuæ & Seniorum, uſq; ad Samuelem, & Arcam Domini captam, vivunt varia, ſub proprio & vicinarum gentium Dominio, viciſſitudine, annos 430.

430. A morte Davidis, & plenario Initio Salomonis, ad captivitatem Babylonicam ſunt anni 430.

430. Ab Iſraëlitarum poſtrema poſt captivitatẽ Babylonicam per Eſdram reductione, & cultu Divino ab eodem in Templo reſtaurato ſeu renovato, ad paſſionem Chriſti ſunt Anni 430.

$427\frac{1}{2}$. Templum Salomonis, ſeu Templum primum à prima fundatione, usque ad ejus vaſtationem, & initium captivitatis Babylonicæ, ſtetit annis $427\frac{1}{2}$.

$427\frac{1}{2}$. A vaſtatione primi Templi finita atque ſecundi Templi reſtructione, h. e. ab Anno ſecundo Darii Nothi atque initio 70. Hebdomadum Danielis, ad patefactionem Chriſti in templo Noviſſimo, anno ætatis 12. ſunt anni $427\frac{1}{2}$

400. Ab anno 5. Iſaac, ad egreſſum Iſraëlitarum ex Ægypto, ſunt anni 400.

400. A populo Iudaico, Terra, urbe, & Templo Hieroſolymorum præſervatis, vel liberatis, ne ab Alexandro Magno excinderentur, ad ultimam eorum per Titum factum excidium, ſunt Anni 400.

390. Annis 390. poſt adventum Abrahæ in terram Canaan, Moſes anno ætatis 40. [ præcoci Spiritus heroici impulſu ] opus liberationis Iſraëlitarum ex Ægyptica ſervitute aggredi conatur. Sed ab Iſraëlitis [ tempus viſitationis non intelligentibus ] repellitur.

390. Samſon à primæ ſervitutis Iſraëlitarum in terra Canaan initio, poſt 390. annos ab ultima ſervitute eos moriens liberat.

390. Regnum Iuda, poſt ſciſſum Regnum Salomonis, ſtetit ſub 20. Regibus, usque ad captivitatem Babylonicam Annos 390. h. e. ſexies 65. ſive ter. 130. annos.

390. A morte Davidis, ad prædicationem Jeremiæ Prophetæ cœptam, ſunt Anni 390.

390. Ab initio 70. Hebdomadum Danielis, ad Sceptrum pleniſſimè à Iudæis ablatum ſunt anni 390.

260. Regnum Iſraël, poſtquam avulſum fuit à Regno Salomonis, ſtetit ſub 20 Regibus; usq; dum à Salmanaſare totum aboleretur, Annos 260. h. e. quater 65. ſive bis 130. annos.

215. Abraham, Iſaac, & Jacob, hujusque Filii peregrinantur in terra Canaan annis 215.

215. Jacob, ejusque Filii, peregrinantur in Ægypto, annis 215. Et hoc modo complentur anni peregrinationis ipſorum 430.

130. Adamo anno Mundi 130. naſcitur Seth Filius, pro Abele occiſo. Ab eo totum genus humanū, quod poſt diluvium vivit, propagatum eſt.

130. Iacob annorum 130. transfert peregrinationem ſuam & Patrum ſuorum ex Chanaan in Ægyptum.

130. Jojada ſummus Sacerdos annorum 130. moritur. Ante cujus mor-
130. tem Regnum Iuda & Regnum Iſraël ſteterunt annis 130. Poſt e-
130. jus vero mortem Regnum Iſraël ſtetit adhuc annos 130. at Re-
130. gnum Iuda bis 130. annos hoc eſt annos 260. Itaque Regnum Iu-
130. da manſit poſt deletum Regnum Iſraël annos 130.

120. Dominus Diluvium 120. annis antequam id immiſit prædicari facit per Noam.

120. Moſes annorum 120. Iſraelitas ad terræ promiſſæ limites (quod ante 80 annos facere conatus fuerat) demum perducit: ibique moritur.

120. Mandatum Cyri de reædificatione Templi, poſt 120. annos cum ſemeſtri, demum plenè fuit completum.

116. Templi ſecundi Extructio reſumitur, poſt Cyri mandatum annis 116.

114. Cyri mandatum de reædificatione Templi impeditur totos 114. annos 1. dolo. 2. vi. 3. Interdicto Regio contrario.

112. Ab Egreſſu Iſraelitarum ex Ægypto, ad occupandam terram promiſſam uſque ad eam plenè poſſeſſam, ſunt anni 112.

113. A primo prodromo Inclinationis Sceptri Iudaici ad Romanos (ſive à prima Romanorum ſuper Iſraelitas, per fœdus amicitiæ, quod Iudas Maccabæus ab eis petiit, invitatione) uſque ad inſignem ejusdem Sceptri labefactationem, quando Iulius Cæſar Romána poteſtate, Antipatrum Idumæum procuratorem Regni Iudæorum conſtituit, ſunt anni 113.

116. Ab Antipatro Procuratore Iudææ conſtituto, atque Iudæis aliena poteſtate preſſis, ad ultimam Hieroſolymorum & totius Regni abolitionem, ſunt anni 116.

112. Herodes Magnus Antipatri Filius, annis 112. ante everſionem politiæ Iudaicæ, Dux totius Cœloſyriæ renunciatur: Eiq; etiam Regnum promittitur.

111. Idem Herodes annis 111. ante eandem Regni Iudaici everſionem non procurator, ſed Tetrarcha Regno Iudaico ab Antonio Triumviro præficitur.

109. Ab Herode eodem Rege Iudæorum Romæ in Senatu creato, ad finem Regni Iudaici ſunt anni 109.

100. Abrahamo annorum 100. naſcitur Iſaac ex promiſſione.

100. Ab anno 22. Samuelis, quo jugum gentium fuit abjectum, usq; ad Regnum Salomonis divulſum, ſunt anni 100.

100. A Sceptro pleniſſimè à Iudæis ablato, atque Herode in Regno Iudaico totaliter, tàm Auguſti Imperatoris, quàm Senatus Romani decreto, confirmato, ad ultimam populi exterminationem, ſunt anni 100.

100. A Regia dignitate apud Iudæos per Ariſtobulum recuperata, ad Chriſtum æternum Regem incarnatum ſunt anni 100.

72½. Poſt initium occupationis terræ promiſſæ, ad plenam ejus poſſeſſionem obtentam, adeoq; ad exitum ex Ægypto plenè completum, ſunt anni 72½.

72½. Chriſtus ex Ægypto, quo profugerat, redit annis 72½. ante ultimam Hieroſolymorum vaſtationem.

70. A 22. anno Samuelis, ſeu decimo Iubilæo, quo Iſraëlitæ gentium jugum excuſſerunt, ad Templi Salomonis dedicationem, ſunt Anni 70.

70. A Ioachaz Rege Iuda in Ægyptum abducto, uſque ad annum 3. Regni Cyri in Perſia, atq; mox Babylonem ab ipſo captam, ſunt anni 70.

70. Captivitas Babylonica duravit annos 70. quibus omnis terra Iuda continua Sabbata egit, pro compenſatione 70. annorum præcedentium Sabbatariorum (nimirum 10. Sabbatariorum intra illos 70. annos comprehenſorũ, & aliorum 60. Sabbatariorum, poſt Templi Salomonis dedicationem, usque ad captivitatem Babylonicam) non ritè juxta Domini mandatum celebratorum.

70. Danieli Prophetæ determinantur 70. hebdomades Annorum, ab exitu verbi de reſtaurandis muris & Templo in Hieruſalem, uſque ad excidium eorum ultimum.

65. De Annis 65. ſexies intra annos 390. compræhenſis vide in univerſali Tabula.

50. / 49. Ab Egreſſu Iſraëlitarum ex Ægypto die 50. (incluſivè ſive poſt completos 49. dies) Lex Decalogi in monte Sinai, à Domino ipſo lata & recitata eſt.

50. / 49. Die 50. à craſtino Sabbati mox poſt paſcha, feſtum Pentecoſtes quotannis fuit celebrandum.

50. Annus

50. } Annus 50. incluſivè, ſive annus 49. excluſivè, h. e. Septimus quiſq;
49. } Sabbattarius annus; fuit Iubilæus.

49. Iudæis à captivitate Babylonica dominati ſunt Reges Babylonici annis 49.

49. Hieroſolyma reædificatur ſub Dario Notho, & Artaxerxe Mnemone, cum tribulatione annis 49.

49. A Noviſſimo Templo reſtaurato, vel reædificato, ad Templum corporis Chriſti deſtructum, & poſt triduum reſuſcitatum, ſunt anni 49.

40. Iſaac natus annos 40. ducit uxorem Rebeccam.

40. Eſau natus annos 40. ducit uxores duas, quæ Spiritum Iſaaci & Rebeccæ parentum multiplici moleſtia excruciant.

40. Moſes annorum 40. deſerta aulâ Regiâ, Iſraëlitis ſe adjungit [præcociore Zelo compulſus] eos liberaturus. Sed ab eis nihil horum agnoſcere volentibus, repellitur.

40. Liberatio Iſraëlitarum ex Ægypto, per infidelitatem ipſorum in alios 40. annos ſuſpenditur.

40. Iſraëlitæ 40. annis in deſerto vagantur juxta 40. dies, quibus 12. exploratores luſtraverant terram Chanaan.

40. Iſraëlitæ ſub judicibus aliquoties ab externis bellis 40. annnis quieſcunt; vid. poſt Victoriam Athnielis, Terra eorum quieſcit annis 40. poſt Victoriam Deboræ & Barac, annis 40. poſt Victoriam Gedeonis annis 40. Ita viciſſim Iſraëlitæ ſervitute premuntur à Philiſtæis annis 40. à quibus redemit Samſon moriens. Poſt quem denuò in libertatem reſtituti quieſcunt ſub Eli ſummo ſacerdote & Iudice annis 40. uſque ad arcam Domini captam. Ita Samuel & Saul regnant annos 40. (& aliquantum ultrà) David poſt primam unctionem annis 40. à Filio ſuo Abſolom ſeditioſo, pellitur Regno. Idem David regnat annos 40. cum quadrante circiter. Salomon regnat annos 40. cum quadrante ferè.

40. A Vocatione Jeremiæ ad captivitatem Babylonicam, ſunt anni 40.

40. Ab ultimo Jubilæo, annoque ſecundo Miniſterii Chriſti inchoato, reſtant anni 40. ad ultimam Hieroſolymorum vaſtationem, juxta prædictionem Chriſti, ad ſignum Jonæ Prophetæ, prædicentis Ninivitis, urbis eorum poſt 40. dies (niſi reſipiſcant) interitum.

40. Huc pertinent ſequentia. Aqua Diluvii, ruptis fontibus Abyſſi, & apertis cataractis Cœli, factaq; pluvia ſuper terram diebus 40. Et no-
40. ctibus 40. inundavit ſuper Terram. Rurſus, ceſſante Diluvio, Noa poſt dies 40. quàm cacumina montium apparere inciperent, aperta feneſtra emittit corvum.

40. Moſes poſt latum de monte Sinai à Domino Decalogum, commoratur in eo monte cum Domino 40. dies, & 40. noctes, panem non comedens, nec aquam bibens. Inde rediens, viſo vitulo aureo, & ſaltantium choro, confringit Tabulas Teſtamenti lapideas, à Domino acceptas.

40. Idem Moſes poſt pœnam ab Idololatriæ illius Auctoribus ſumptam, procidit coràm Domino 40. diebus, & 40. noctibus, absq; cibo & potu, ſupplicans Domino, ne populum prout comminatus fuerat, perdat. Poſt quos dies Dominus placatus, eum novas Tabulas conficere jubet.

40. Moſes confectis novis Tabulis, cum Domino commoratur tertiò 40. diebus & 40. noctibus. Poſt quos reverſus, facie lucet, ut Iſraëlitæ eam intueri non poſſent, novatasq; Tabulas, digito Domini ſcriptas affert, & fœdus inter populum Domini, & Dominum ferit.

40. Anno 2. ab exitu ex Ægypto, 12. Exploratores, viſa & perluſtrata Terra, poſt 40. dies redeunt. Cumq; ij Terræ detrahunt, univerſum populum Iſraël rebellem faciunt. Qui dum adverſus Dominum & Moſen ſeditioſo murmure inſurgunt, Dominum adeò irritant, ut univerſis ipſis exitium comminetur, ne quisquam illorum bonam il-

40. lam terram videat. Moſes igitur jam quartò totos 40. dies, & 40. noctes absque cibo & potu Domino ſupplicat, ne populum extinguat. Impetrat autem non pœnæ remiſſionem, ut antè, ſed aliquam mitigationem. Nam in deſertum Dominus ipſos redire præcipit, & quibus ſimul cunctis intereundum fuerat, eis intra 40. annos (juxta numerum 40. dierum exploratæ Terræ) extra illam promiſſam Terram in deſerto hinc inde oberrantibus eſſe pereundum, denunciari jubet. Quâ ſententiâ auditâ, Iſraëlitæ totum diem (10. menſis ſeptimi) nimio luctu, fletu & afflictione, in jejunio conſumunt, dolentes ſe certò ex terra promiſſa, atque jamjam ad poſſidendum occupanda excludi, & non tantum in Deſerti exilium emitti, ſed intra 40. annos ſibi univerſis eſſe intereundum &c. Verùm à Domino non exaudiuntur.

40. Quinta vice Moſes 40. dies & 40. noctes ſtetit in monte, ut antè, deprecans Dominum, ne populum perdat, ſed in terram promiſſam (ad cujus terminos tum anno quadrageſimo redierant) introducat.

40. Sic Elias Propheta 40. diebus & 40. noctibus in fortitudine cibi, ab Angelo præparati, ambulat usque ad montem Horeb.

40. Chriſtus in deſerto jejunat 40. diebus & 40. noctibus cùm à Satana tentatur.

40. Chriſtus redivivus poſt 40. dies à reſurrectione, aſcendit in Cœlum.

37½. Iſrae-

37½. Iſraelitæ cùm in terram promiſſam ex diffidentia ingredi detrectant, ex Cadesbarnea in Deſertum iterum à Domino emittuntur, in quo ipſi annis 37½. vagantur, donec tandem in cades Zin veniunt. Interea univerſi, qui contra Dominum murmurarunt, obierunt. Atque tum verſus terram promiſſam iter tendere denuò incipiunt.

37½. Poſt mortem Moſis annis 37½. Iſraëlitæ idololatria ſe polluentes, primùm ſervituti vicinarum gentium ſubjiciuntur.

37½. David annorum 37½. Regno ſuper univerſum Iſraël potitus eſt.

37½. A Templo Domini, per Salomonem fundato, ad diviſionem Regni Salomonis, atque ad defectionem Iſraëlitarum ad aureorum vitulorum idolomaniam, ſunt anni 37½.

37½. Chriſtus in terris vixit & obambulavit, à Natali ad paſſionē annos 37½.

21. Jacob cùm fugiſſet fratrem Eſau, anno 21. (labente) ex Meſopotamia (q. ab exilio) revertitur, fratrique reconciliatur.

21. Joſeph amiſſus (utpote à fratribus in Ægyptum venditus, & à Patre pro occiſo à fera habitus) poſt annos 21. à fratribus ſuppliciter adoratur, & poſtea agnoſcitur.

21. Prima populi Iſraelitici in terra Chānaan ſervitus; incipit annis 20. completis, vel anno 21. labente poſt mortem Joſuæ.

21. Annis 21. poſt arcam Domini captam, & mortem Eli, Iſraëlitæ præcibus Samuelis adiuti, jugum vicinarum gentium excutiunt, ſeq; in libertatem reſtituunt.

21. A primo initio Regni Saulis ſuper univerſum Iſraël, ad Regnum Davidis itidem ſuper univerſum Iſraël, omnemque dignitatem Regiam à familia Saulis, morte Isboſeth ejus Filii ablatam, ſunt anni 21.

21. David cùm ſuper univerſum Iſrael Regnaſſet annos 21. à Filio Abſolon pellitur Regno.

21. Princeps Perſicus (Genius malus) reſiſtit Angelo Domini bono, & precibus Danielis 21. diebus (angelicis) h. e. Liberatio Iſraëlitarum ex captivitate Babylonica ſuſpenditur poſt captam à Cyro Babylonem, totos 21. annos.

21. Annis 21. poſtquam Alexander Magnus hoſtili animo Hieroſolymas (Domino tamen cor ejus movente, urbi & populo placatus) venit, omnis ejus proſapia deſiit.

21. A captis per Pompejum Magnum Hieroſolymis; captoque Ariſtobulo Rege poſt 21. annos, Herodes ab Antonio Triumviro Romano, conſtituitur Tetrarcha Judææ.

21. Chriſtus poſt editum Divinæ ſuæ Sapientiæ ſpecimen, cum Doctoribus in Templo, ipſe 12. annorum diſputans, latuit quaſi obſcurus 21. an-

nos, usque ad Joannis Baptiſtæ, ſui præcurſoris vocationem, qui populo Iſraëlitico ipſum manifeſtavit.

21. Anno 21. poſt Joannis Baptiſtæ vocationem Apoſtoli Hieroſolymis I. Concilium celebrant.

A primo Apoſtolorum Concilio Hieroſolymis acto, usque ad ultimam Hieroſolymorum vaſtationem ſunt anni 21.

$4\frac{1}{2}$. Templi ſecundi ſtructura, ſub Jeſua & Zorobabele, abſoluta fuit annis $4\frac{1}{2}$.

$4\frac{1}{2}$. Chriſtus miniſterio prædicationis functus eſt annis $4\frac{1}{2}$.

$3\frac{1}{2}$. Cœlum Tempore Eliæ occluſum fuit ne plueret annis $3\frac{1}{2}$.

$3\frac{1}{2}$ Chriſtus à Jubilæi ultimi initio, poſt incarceratum Ioannem Baptiſtam uſque ad Paſſionem, annis $3\frac{1}{2}$. largiſſima ſalvifici verbi ſui pluvia Terram Iſrael irrigavit.

Sunt & alii plures myſtici & harmonici numeri in his Chronologicis Tabulis delitentes. Ut: quòd Noa numeratur *Decimus* ab Adam, incluſivè: Abraham *Decimus* à Noa, excluſivè: Levi *Decimus* ab Abraham, incluſivè: qui ab eo, dum in lumbris ejus adhuc eſſet, *Decimatus* fuit, & anno *Decimo* ſervitutis Patris Jacob natus eſt &c. Sic, quòd Henoch *Septimus* eſt ab Adam, incluſivè: Eber, à quo poſteri ejus dicuntur Ebræi, [ & qui in Turris Babylonicæ ſtructuram non conſenſiſſe, ideoque nativam atq; primævuam linguam retinuiſſe fertur.] *Septimus* ab Henoch excluſivè: Abraham *Septimus* ab Eber incluſivè: atq; Moſes & Aaron *Septimi* ab Abraham, quoq; incluſivè, &c. Item quòd à Diviſione Regni Salomonis tàm Regnum Iſrael, ad everſionem ſuam, quàm Regnum Iuda, ad transmigrationem Babylonicam, gubernatum fuit à 20. Regibus &c. Nec dubitamus, quin qui hos præcedentium Tabularum Chronologicos numeros diligenter inter ſe conferre voluerint, multò plures inventuri ſint. Cujusmodi & illi ſunt: Quòd nonnullorum intervalla à termino initiali, aliis à termino finali æquantur. Ut: tranſlatio Henoch, totidem annis facta eſt poſt creationem orbis, quot Eliæ, vaſtationem Hieroſolymorum urbis anteceſſit, utrobique enim ſunt Anni 987. Item, Diviſio 70. Hebdomadum, ſive 490. annorum à Decimo Iubilæo ad captivitatem Babylonicam, continet annos 100. & annos 390. At 70. Hebdomades Danielis, à reſtaurato ſecundo Templo ad deſolatum Templum noviſſimum, dividuntur quidem ſimili modo, veruntamen ordine Inverſo, videlicet in annos 390. & 100. ſicut in Tabula univerſali dilucidè videre licet. Ita etiam alii multi. Verùm hi numeri jam quidem in præſentia nobis ſufficiunt.

## GENEALOGIÆ PATRIARCHARUM ET Regum per Decades.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1. Adam. | 1. Sem. | 1. Iſaac. | 1. Obed. | 1. Ioas. |
| 2. Seth. | 2. Arphaxat. | 2. Iacob. | 2. Ieſſe. | 2. Amaſias. |
| 3. Enos. | 3. Sale. | 3. Iuda. | 3 David. | 3. Aſarias vel Vſias. |
| 4. Cainan. | 4. Eber. | 4. Phares. | 4. Salomon. | 4. Iotham. |
| 5. Malaleel. | 5. Phaleg. | 5. Eſrom. | 5. Rehabeam. | 5. Achatz. |
| 6 Iared. | 6 Regu. | 6. Aram. | 6. Abiam. | 6. Hiskia. |
| 7 Henoch. | 7. Sarug. | 7. Aminadab. | 7. Aſſa. | 7. Manaſſe. |
| 8. Mathuſalem. | 8 Nachor. | 8. Nahaſſon | 8. Ioſaphat. | 8. Ammon. |
| 9. Lamech. | 9. Thare. | 9. Salmon. | 9. Ioram. | 9. Ioſias. |
| 10 Noa. | 10. Abraham. | 10. Bootz. | 10 Ahaſia vel Ioahas | 10 Zedekia. |

| *Levi Decimus & decimatus ab Abraham.* | *Gubernatores & Regentes populi Iraëlitici poſt mortem Moſis in terra ſancta, ante diviſionem Regni eorum.* | |
|---|---|---|
| 1. Abraham. | 1. Ioſua. | 11. Iephte. |
| 2. Iſmael. | 2. Seniores populi. | 12. Abeſan, |
| 3. Iſaac. | 3. Athniel. | 13. Elon. |
| 4. Eſau. | 4. Ehud. | 14. Abdon. |
| 5. Iacob. | 5. Sangur. | 15. Simſon. |
| 6. Ruben. | 6 Debora & Barac. | 16 Eli. |
| 7. Dan. | 7. Gedeon. ( à populo poſtulatus Rex, Regnum oblatum tenuit. ) | 17. Samuel ( à populo Ariſtocratiâ pertæſo & Regem poſtulante abjicitur.) |
| 8. Nephtali. | 8. Abimelech. (primus Regem ſeipſum conſtituit.) | 18. Saul: (Primus Rex à Deo datus.) |
| 9. Simeon. | 9. Thola. | 19. David. |
| 10. Levi. | 10. Iair. | 20. Salomon. |

## REGES JUDA ET ISRAEL POST DIVISUM Regnum Salomonis,

| *REGES IVDA.* | | *REGES ISRAEL.* | |
|---|---|---|---|
| 1. Rehabeam. | 11. Iotham. | 1. Ierobeam I. | 11. Iehu. |
| 2. Abiam. | 12. Achaz. | 2. Nadab. | 12. Ioachas. |
| 3. Aſſa. | 13. Hiskia. | 3. Baeſa. | 13. Ioas. |
| 4. Ioſaphat. | 14. Manaſſe. | 4. Ella. | 14. Ierobeam. II. |
| 5. Ioram. | 15. Ammon. | 5. Simei. | 15. Sacharia. |
| 6. Ahaſia vel Ioahas. | 16. Ioſias | 6. Amri. | 16. Sallum. |
| 7. Athalia ( fœmina ) | 17. Ioachatz. | 7. Tibni ( pſeudo Rex ) | 17. Manahem. |
| 8. Ioas. | 18. Ioiakim. | 8. Achab. | 18. Pekaia. |
| 9. Amaſias. | 19. Iechonias. | 9. Ahaſia. | 19. Peka. |
| 10. Aſarias vel Vſias. | 20. Zedekia. | 10. Ioram. | 20. Hoſea. |

## GENEALOGIA PATRIARCHARUM USQUE AD David per Heptades.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1. Adam. | 1. Mathuſalem. | 1. Eber. | 1. Abraham. | 1. Aminadab. |
| 2. Seth. | 2. Lamech. | 2. Phaleg. | 2. Iſaac. | 2 Nahaſon. |
| 3. Enos. | 3. Noa. | 3. Regu. | 3. Iacob. | 3 S lmon. |
| 4. Cainan. | 4. Sem | 4. Serug. | 4. Iuda. | 4. Booz. |
| 5. Malaleel. | 5. Arphaxat. | 5. Nachor. | 5. Phares. | 5. Obed. |
| 6 Iared. | 6. Sale. | 6 Thare. | 6. Eſrom. | 6. Ieſſe. |
| 7. Henoch. | 7. Eber. | 7. Abraham. | 7. Aram. | 7. David. |

## SUCCESSIO REGUM, QUI IN JUDA
Regnarunt poſt David.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1. Salomon. | 1. Athalia (*fœmina*) | 1. Manaſſe. | 1. Abraham. |
| 2. Rehabeam. | 2. Ioas. | 2. Ammon. | 2. Iſaac. |
| 3. Abiam. | 3. Amaſias. | 3. Ioſias. | 3. Iacob. |
| 4. Aſſa. | 4. Aſarias vel Vſias. | 4. Ioahaz. | 4. Levi. |
| 5. Ioſaphat. | 5. Iotham. | 5. Iojakim. | 5. Kahath. |
| 6. Ioram. | 6. Achaz. | 6. Iechonias. | 6. Amram, |
| 7. Ahaſia vel Ioahas. | 7. Hiskia. | 7. Zedekia. | 7. Aaron. Moſes. |

## GENEALOGIA CHRISTI PER TRES TESSARADECADES
ex Matthæo Cap. 1.

| 4. | 2. | 3. |
|---|---|---|
| 1. Abraham. | 1. Salomon, ex ea quæ fuit Vriæ | 1. Iechonias, & fratres ejus. |
| 2. Iſaac. | 2. Roboam. | 2. Salathiel. |
| 3. Iacob. | 3. Abia. | 3. Zorobabel. |
| 4. Iudas & fratres ejus. | 4. Aſa. | 4. Abiud. |
| 5. Phares & Zara ex Thamar. | 5. Ioſaphat. | 5. Eliacim. |
| 6. Efrom. | 6. Ioram. | 6. Azor. |
| 7. Aram. | 7. Ozias. | 7. Sadoc. |
| 8. Aminadab. | 8. Ioatham. | 8. Achim. |
| 9. Naaſſon. | 9. Achaz. | 9. Eliud. |
| 10. Salmon. | 10. Ezechia. | 10. Eleazar. |
| 11. Bootz, ex Rachab. | 11. Manaſſes. | 11. Matthan. |
| 12. Obed, ex Ruth. | 12. Ammon. | 12. Iacob. |
| 13. Ieſſe. | 13. Ioſias. | 13 Ioſeph. |
| 14. David, Rex. | 14. (Iakim.) | 14. IESVS CHRISTVS. |

## GENEALOGIA CHRISTI PER UNDECIM HEPTADES,
vel ſeptem Hendecades, Ex Luc. Cap. 3.

Ἄλφα.

| 1. | 2. | 3. | 4. | 5. | 6. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1. *IESVS Chriſtus* | 8. Ioſeph. | 15. Mathatias | 3. 22. *Salathiel.* | 29. Ioſe. | 36. Ioſeph. |
| I. 2. Ioſeph. | 9. Matthias. | 16. Semei. | 23. Neri. | 30. Eliezer. | 37. Ionam. |
| 3. Eli. | 40. Amos. | 17 Ioſeph. | 24. Melchi. | 31. Iorim. | 38. Eliakim. |
| 4. Mathat. | 2. *11. Naum.* | 18. Iuda. | 25. Addi. | 32. Matthat. | 39. Melea. |
| 5 Levi | 11. Esli. | 19 Ioanna. | 26. Koſam. | 4. 33. *Levi.* | 40. Mainan. |
| 6. Melchi | 13. Naggæ. | 20. Rheſa. | 27. Elmodam | 34. Simeon | 41. Matthata. |
| 7 Ianna. | 14. Maath. | 11. Zorobabel | 28. Er. | 35. Iuda. | 42. Nathan. |

| 7 | 8. | 9. | 10. | 11. |
|---|---|---|---|---|
| 43. David. | 50. Aram. | 57. Thara. | 64. Cainan. | 71. Iared. |
| 5. 44 *Ieſſe.* | 51. Eſrom. | 58. Nachor. | 65. Arphaxat. | 72. Malaleel. |
| 45 Obed. | 52. phares. | 59. Saruch. | 7. *66. Sem.* | 73. Cainan. |
| 46. Booz. | 53. Iuda. | 60. Ragau. | 67. Noa | 74. Enos. |
| 47. Salmon. | 54. Iacob. | 61 Phalec. | 68. Lamech. | 75 Seth. |
| 48. Naaſon. | 6. *55. Iſaac.* | 62. Eber. | 69. Mathuſala | 76. Adam. |
| 49. Aminadab. | 56. Abraham. | 63. Sala. | 70. Enoch. | 77. *DEVS.* |

Ὠμέγα.

# ΕΞΗΓΗΣΙΣ
# QUÆSTIONUM
## CHRONOLOGICARUM
ex ſuperioribus Tabulis
ortarum.

# I. Quæſtio.

## *De Tranſitu Chronologico ex Hiſtoria Sacra in Scripta Prophana, pro connectendis annis prioribus Mundi, cum ſequentibus.*

CErtam & continuam ſeriem annorum Mundi à prima creatione ultra ter mille annos, Sacra Scriptura nobis exhibet. Etſi enim nonnulli ſatis difficiles Chronologici ſcrupuli, in ea alicubi occurrunt, ii tamen ex aliorum locorum collatione, eleganter ſolvi & explicari poſſunt, quemadmodum tàm ex aliis, quàm noſtris Chronologicis ſcriptis conſtat. Optandum autem eſſet, ut ſeries illa, eodem filo, ad tempora Chriſti Meſſiæ, vel ad ultimam Ieroſolymorum everſionem, continuata, in eodem ſacro codice inveniretur. Verùm omnis illa Chronologia, in priori Ieroſolymorum vaſtatione, per Nebucadnezarem Magnum facta, hoc eſt, in captivitate populi Iſraëlitici Babylonica, deſinit. Hiſtoriæ enim, quæ poſt eam ſequuntur, nullo certo temporis intermedii nexu, cum prioribus cohærent, niſi quòd eæ, poſterioribus temporibus acciderint. Sed quot annorum intervallis eæ, tàm à prioribus illis, quàm etiam pleræque inter ſe diſtent, diſertè nullibi indicatur. Hinc neceſſe eſt, ut hiſtoriarum illarum, temporumque & annorum ſeriès, ex prophanis ſcriptis eruatur, ut hoc modo, certa annorum ſeries uſque ad exhibitum Meſſiam, atq; inde, ad noſtra uſque ſecula, ſciri poſſit. Singulari autem divinâ providentiâ id ipſum factum cernitur, ut, ubi Scriptura ſacra (cujus principalis ſcopus & finis eſt, (Joh. ult.) docere, quòd Jeſus ſit Chriſtus Filius Dei vivi, ut credentes in eum habeant vitam æternam) chronologiam contexere deſinit, ibi prophana ſcripta majori certitudine eam continuare incipiant. Opera ergò danda eſt, ut certum inde, in hæc, tranſitum inveſtigemus. Porrò, ſi per omnes hiſtorias tranſcurramus, invenimus unicum ſolum, attamen aptiſſimum, quo meliorem & certiorem optare non poſſemus tranſitum, nimirum per Nebucadnezarem Magnum, ſive Nabuchodonoſorum Babyloniorum Regem, qui initio duos Reges Iudæ, unà cum magna parte populi Iudaici, atque non

1. Poſt Capt. Babyl. hiatus eſt in Chronologia Biblica.

2. Expletur autem per Nebucadnezarem.

paucis vaſis templi, omnem illum populum Babylonem abduxit. Primò quidem Ioakimum 2. Reg. 24. v. 1. 2. Paralip. 36. v. 6. catenis vinctum, quem tamen, ut in ſequentibus probabitur, mox liberum remiſit. Secundò Iechoniam, qui in Exilio mortuus eſt. Tertium verò Regem Zedechiam non cum aliquibus, ſed cum univerſo populo Iudæorum, urbe & terra Iuda vaſtata & templo Domini diruto, Babyloniam in ſeptuagenariam ſervitutem abſtraxit. Hunc Ptolemæus Nabopollaſarum nominat, ejusque Regni Epocham certam, per calculum Aſtronomicum determinat.

Mentio quidem fit aliorum quoque Regum Babyloniæ vel Aſſyriæ in ſacra Scriptura, ut ſunt, Salmanaſar, 2. Reg. 18. v. 9. qui putatur eſſe Nabonaſar apud Ptolemæum, quidam eum eſſe Baladam, 2. Reg. 20. v. 12. Iſai 37. v. 1. arbitrantur: Berodach vel Merodach, ibidem, qui procul dubio eſt, quem Ptolemæus 4. Amageſt. cap. 6. Mardocempadum vocat. Verùm nullus per eos patet tranſitus, quia etſi horum tempora, apud Ptolemæum per obſervationes Aſtronomicas, hoc eſt, juxta annos cæleſtes, ſint annotata, Scriptura tamen ſacra, eorum nullum annum determinat. Ita per Cyrum, Ahaſueros, Darios, Artaxerxes, de quibus in Daniele, Eſra, Nehemia, Haggæo, Zacharia, Eſthera & alibi legitur, tranſitus ſimiliter negatur. Per Cyrum quidem: quod Scriptura ejus primum annum eum dicit, quo Iudæis ſoluta captivitate reditum in terram ſanctam permiſit, prophani verò, Regni ejus initium, ab Aſtiage Regno pulſo inchoant. Sed quanto interſtitio hæc initia differant, inter chronologos non convenit, & difficilimè indagari poteſt, ut infrà patebit. Per cæteros autem ſimiliter, tranſitus nullus patet, partim propter obſcura eorum nomina, quæ quibus Regibus conpetant ex ſacra Scriptura agnoſci non poſſunt, ſed ex prophanis hiſtoricis magna cum difficultate (unde alii aliter judicant) eruuntur: partim verò propter hiatus inter ipſos & captivitatem Babylonicam, vel inceptam vel finitam, Scriptura enim illa intermedia tempora non computat. At per Nebucadnezarem vel Nabuchodonoſorum Magnum, tranſitus certiſſimus & planiſſimus eſt. Nam hujus aliquot anni, haud dubiè Deo ſic diſponente, in ſacra Scripturæ cum cæteris Regum Iuda annis, ſic connectuntur, ut omne dubium tollatur. Etenim Hier. 25. annus ejus primus, dicitur eſſe annus 4. Iojakim, ſimulque annus 23. prædicationis Ieremiæ numeratus à 13. anno Ioſiæ Regis, quo ad officium Propheticum divinitùs fuit vocatus. Idem anno 8. Iechoniam in Babylonem abduxit, & Zedechiam in Regnum ejus loco elevavit, 2. Reg. 24. v. 12. ſic annum 10. Zedechiæ, Ieremias cap. 32. connectit cum 18. anno Nabuchodonoſoris. Ita annus 19. ejusdem alligatur anno

*3. Cujꝰ anni cum annis Regum Iuda in SS. componuntur.*

11. Zede-

11. Zedechiæ 2. Reg. 25. 2. Paralip. 36. Ierem. 39. & 52. Quare omnes hiſtoriæ ſacræ inde, à creatione orbis, certum & indubitatum terminum habent, in hoc Nebucadnezare, ſive in captivitate Babylonica. Ad ſequentia autem tempora progreſſus datur à Ptolemæo, qui libr. 5. cap. 14. Almageſti ſcribit, Eclipſin Lunarem anno 5. hujus Nabuchodonoſoris, quem ipſe Nabopollaſarum vocat, obſervatam. Is autem annus, ſicut calculus Aſtronomicus evincit, eſt annus 127. Nabonaſari. Ergò primus hujus Nabopollaſari, ſive Nabuchodonoſori Magni annus eſt 123. annus Nabonaſari, ejusque initium, ſecundum annos Ægyptiacos, quibus Ptolemæus in ſuo Almageſto utitur, incidit in diem 27. Januarii ante Chriſtum natum 625.

HuncAlmageſti librum Ptolemæi Beſſario, natione Græcus (à quo Regiomontanus eum conſequutus eſt, & in Germaniam attulit) tanti feciſſe fertur, ut totâ provinciâ æſtimare non dubitaret. At nos, innumeris ejus in aſtronomia uſibus omiſſis (etenim ſi hoc Ptolemæi Almageſto carendum eſſet, omnis aſtronomia noſtri ſeculi, non jam adulta eſſet, ſed in cunis recumbens, adhuc vagiret) aſſerere non veremur, librum illum, ſi nihil aliud præſtitiſſet, ob hunc unicum characterem chronologicum, per quem tranſitus eſt ex hiſtoriis prophanis in hiſtoriam ſacram, totâ provinciâ fuiſſe non immeritò redimendum.

Hîc autem, atque in ſequentibus utemur forma anni Iuliani, quemadmodum in diſputationibus chronologicis ut plurimum fieri ſolet, tanquam ii jam olim, ſive etiam à creatione mundi, fuiſſent in uſu: Item annos Chriſti deducimus, ab eo principio, quo vulgò communiter, tàm in Eccleſia, quàm in Politia uti ſolemus, à quo initio hic præſens annus numeratur annus 1600. In primis verò obſervandum ducimus: Quoniam diverſa ſunt apud alios atque alios annorum principia: Nos Regum Babyloniorum annos incipiendos non cenſemus à vago initio annorum Ægyptiacorum, qui cùm conſtent diebus 365. tantùm, absque quadrante, per totum annum ſolarem intra 1460. annos vagantur, ideoque modò in Bruma, modò in Autumno, Æſtate aut Vere inchoantur. Ita eosdem nec à Bruma cum Iulianis annis, nec à Verno tempore cum Iudæis, ſed ab Æſtate cum Athenienſibus, ubi etiam Olympiadum anni ſua initia habent, incipiendos ſtatuimus. Huic ſententiæ congruit, quod Nehem. cap. 1. & 2. menſis Caſleu, qui eſt nonus menſis Iudæorum & in Decembrem Iulianum ut plurimum cadebat, & proximè ſequens Niſan, qui eſt primus anni Iudaici, noſtro Aprili competens, in unum & eundem annum 20. Artaxerxis inciderunt. Ergò caput illius anni, vel in Æſtate, vel Autumno, probabilius autem in Æſtate cecidit. Ita hujus

4. Vſurpatur hîc anni forma Iuliana.

5. Et anni Regum Bab. ab æſtate inchoantur.

primi Nebucadnezaris anni initium, non cum Ianuario, ubi annus Ægyptiacus, caſu ſic ferente, initium habuit, ſed cum Æſtate ſequente, connectimus, nimirum in æſtate anni 625. ante Chriſtum, ubi etiam annus 4. olympi 38. cepit. Quod autem uſitatum initium, potius in æſtatem ſequentem, quàm præcedentem reponimus, cauſa eſt, quòd annus ejus 18. cadere debet in annum Iubilæum; Ierem. 34. incideret is juxta noſtram chronologiam in annum ejus 19. ſi à præcedente æſtate initium uſitatum numerandum eſſet. Sed de hoc infrà. Iſta hìc monuiſſe oportuit.

6. Nabopollaſarus Ptolomæi, eſt Nabucadnazar Sacræ Scripturæ.

Quoniam autem hìc ſolus & unicus, ut diximus, tranſitus chronologicus eſt hiſtoriarum ſacrarum in prophanas, ideoque ſcitu in primis neceſſarius: Idcirco nequaquam ſufficit dixiſſe: Nabopollaſar Ptolæmei eſt Nebucadnezar Magnus ſacræ Scripturæ: Sed requiritur, ut id ipſum ſolidè demonſtretur; Idque tantò magis, quòd non pauci, & quidem magni Viri, diverſum ſentientes, pro Nabopollaſaro Ptolemæi accipiendum contendunt Nebucadnezarum primum hujus Magni Patrem. In qua ſententia præcipuè ii ſunt, qui captivitatis Babylonicæ, ejus ſcil. quæ poſt 70. Annos fuit finita initium collocant, vel in annum 4. Ioakimi, vel in Iechoniæ abducti annum.

Et hujus quidem opinionis magnum argumentum ipſum nomen ſuppeditat. Nam Nebucadnezari Magni Patri, Ioſephus & Euſebius, ex Beroſo, ex quo uterque quodpiam, idque unum idemque fragmentum, pauculis ſolummodò verbis, vel etiam ſyllabis mutatis, recitat, diverſa nomina attribuunt. Ioſephus enim libr. 10. cap. 11. Antiquit. nominat eum ex illo fragmento, Ναβουχοδονόσορον, idem ei nomen aſcribens, quod Filio Nabuchodonoſoro magno. Sed libr. 1. contra Apionem eundem, ex eodem ipſo fragmento nominat Ναβολλάσαρον, quod nomen pauculis literis & ſyllabis ἀπὸ τοῦ Ναβοπολλασάρου Ptolemæi deflectit. Euſebius verò libr. 9. præparationis Evangelicæ, propè finem, ubi hoc idem fragmentum habet, vocat eum Ναβοπαλλάσαρον, unica ſolùm litera ο in α variata. Cùmque hujus potentia fuerit magna, toti enim ferè Aſiæ, Syriæ, quin & Ægypto, ſicut ex dicto fragmento conſtat, dominabatur, cenſent quidam, novam quandam æram, ab ejus Imperij initio, conſimilem ei, quæ à Nabonaſaro apud Ptolemæum uſurpatur, fuiſſe inſtitutam: unde eam etiam Ezechiel Propheta, qui in Chaldæa prophetavit, ab eadem Epocha, qua Chaldæi, tempora notare volens, retinuerit.

Ioſephus Scalige libr. 5. de emend. temp. pag. 217 218.

Ratio Chronologica.

Verùm huic opinioni rationes Chronologicæ omninò contradicunt, totumque argumentum evertunt. Nam hujus Nabopollaſari Ptolemaici initium, ut diximus, incidit in principium Anni 4. olymp. 38. qui eſt annus ante Chriſtum natum 625. Idem verò Ptolemæus eodem

cap. 14.

cap. 14. libr. 5. Almageſti, refert, Eclipſin quandam Lunarem obſervatam fuiſſe anno 7. Cambyſis. Is annus, ut calculus docet, eſt annus 225. Nabonaſari. Quare annus 219. eſt primus annus Cambyſis, ejusque ſecundum annos Ægyptiacos principium, cadit in diem 3. Ianuarij, anni 529. ante Chriſtum ſecundum formam anni Juliani, ſed uſitatum initium à præcedente æſtate ſumendum eſt, quo cepit annus 3. olymp. 62. circa medium anni 530. ante Chriſtum: hujus rei ratio redditur infrà. Ex his conſtat, primum annum Nabopollaſari, præcedere primum annum Cambyſis non pluribus quàm 95. annis, vel ſi ad plurimos ſecundum Nabonaſareos annos extendamus, inveniemus annos 96. Igitur dubium non eſt, Nabopollaſarum hunc, eſſe aut primum, aut ſecundum ſive Magnum Nebucadnezarum. Nam anteriorem aliquem fuiſſe, temporis hujus brevitas, poſteriorem verò annorum pluralitas pernegat. At, ſi primi Nebucadnezari æram examinemus, invenimus eam à Cambyſis æra, pluribus quàm 95. annis diſtare. Etenim is, ut ex eodem Beroſi fragmento, Joſepho libr. 10. cap. 11. Antiquit. Et Euſebio libr. 9. præpar. Evangel. referentibus, patet, regnavit 21. Annis. Joſephus tamen libr. 1. contra Apionem numerat ex illo ipſo fragmento 29. annos. His annumeremus annos 7. completos Regni Nabuchodonoſoris Filij (illi enim, qui Nabollaſarum volunt eſſe Nabuchodonorum Patrem, cenſent captivitatis Babylonicæ annos 70. incipiendos eſſe ab anno 8. Nebucadnezaris filij, quo Jechoniam in Babylonem abduxit) atque inde captivitatis annos 70. & colligemus non pauciores quàm 98. ad primum annum Cyri. At præter hos, certum eſt, apponendos eſſe alios plures annos, quibus Cyrus poſt libertatem Judæis conceſſam, ſuperſtes fuit.

Nam libr. Eſdræ cap. 1. ſolutio facta eſt anno I. Cyri, ibique Cyrus per mandatum Judæis reditum permittit, vaſaque templi Ieroſolymitani reducenda promit. Cap. 2. populus in magna copia in Judæam aſcendit, Cap. 3. fundamenta Templi anno ſecundo reditus jaciuntur. Cap. 4. autem ſtructura Templi à populis terræ impeditur: ſic enim verſ. 5. ejus capitis legitur, quòd opus ſtructuræ omnibus diebus Cyri Regis Perſarum fuerit interruptum. Et libr. 3. Eſdræ cap 5. verſ. ult. Gentes terræ impediverunt exercentes, ne conſumeretur ædificium, omni tempore vitæ Cyri, &c. Vides Cyrum non tantum ultra primum annum, quem etſi non negaremus eſſe ultimum ſive ſeptuageſimum captivitatis annum, ſed etjam ultra ſecundum annum, quo populus redire cepit; imò ultra tertium annum, qui eſt ſecundus annus reditus, quo templum fuit fundatum, fuiſſe ſuperſtitem alijs aliquot annis, antequam vel domi in pace; ſicut Xenophon libr. 8. pædias habet, obijt, vel in bello Scythico, ut Herodotus &c.

tus & Juſtinus teſtantur, perijt, eique Cambyſes Filius ſucceſſit. Quos annos, quotquot ſint (pauciores quàm 4 eſſe veriſimile nequaquam eſt, cenſemus autem fuiſſe annos 7.) ſi prioribus annumeremus certè plures quam 100. colligemus, quos non ultra 95. vel etiam maximum ultra 96. excreſcere oportebat. Joſephus Scaliger, ut ab hoc ſcopulo declinet, annos tàm Cyri, poſt ſolutam captivitatem, quàm Nabuchodonoſoris primi, contrahit. Libr. 6. enim pag. 275. dicit, primum annum Cyri à Judæis dici eum, qui ſit primus ſolutæ captivitatis, ſive primus eorum libertatis, Is autem ipſi eſt etiam captivitatis ultimus ſeu ſeptuageſimus. Sic mox ait annum 71. eſſe, quem Scriptura vocet annum ſecundum Cyri, & annum 72. eſſe annum tertium & ultimum Cyri, atque ſimul primum Cambyſis. Ergò inter ſolutam captivitatem & Cambyſem, unicus ſolus annus intervenit. At hoc loco Scaligerum toto cælo errare, ex dictis clariſſimè cernitur: Cur enim Scriptura diceret, Templi ſtructuram fuiſſe impeditam omnibus diebus vitæ Cyri, ſi anno ſecundo reditus (qui ſanè ſit tertius Cyri) fundatione Templi vixdum inchoata, Cyrus fuit mortuus? obijſſe vel perijſſe enim eum oportuit anni illius medietate vix elapſa, quandoquidem Scaliger eum annum tertium & vitæ Cyri ultimum, cum primo Cambyſis anno componit. Nec hoc loco valere poteſt effugium, quod nonnulli prætendunt, exiſtimantes, Cambyſen patri adhuc vivo, ſed bello Scythico involuto, juxta legem Perſarum, (de qua Herodotus libr. 7. ne Rex in expeditionem exiret, niſi Regem alium prius conſtituiſſet) in Regno ſucceſſiſſe, unde fieri poſſit, ut ijdem ſint anni Cyri & Cambyſis. Hæc objectio ex Hiſtoricis & Ptolemæo facilè revellitur. Cambyſes enim omnium Hiſtoricorum conſenſu, quantumque cum patre vivo imperaverit, Regno præfuit, poſt ejus mortem $7\frac{1}{2}$ annis. At Ptolemæum hos $7\frac{1}{2}$. annos Regni ejus, nequaquam ſub vivo patre, ſed poſt ejus mortem inchoare, demonſtratur ex notatione duarum Eclipſium ſub Dario primo, qui eſt Hiſtaſpes, qui Cambyſi ſucceſſit. Nam libro 4. cap. 9. Almageſti refert Eclipſin Lunæ viſam anno 20. Darij hujus, quem docet eſſe annum 246. Nabonaſari. Item aliam anno 31. ejusdem, qui ſit annus 257. Nabonaſari. Ergò annus 227. Nabonaſari, eſt primus Annus Darij. Dictum autem eſt ſupra annum 219. Nabonaſari eſſe primum Cambyſis, differentia ergò annorum 8. intermediorum continet tempus Imperij Cambyſis videlicet annos $7\frac{1}{2}$. & dimidium annum Smerdis Magi, quemadmodum infra dicemus. Quare dubium non eſt, quin Ptolemæus Cambyſis Imperium à Cyri morte numeraverit, niſi quòd ejus initium pro ſuo more ab anni Ægyptiaci principio deducit.

Refutatur ſententia contraria. 1.

Quod-

Quod item Scaliger, pag. 217. & 218. annos Regni Nabuchodonoſoris primi contrahendos putat, nobis ſimiliter non placet. Beroſum, qui ei annos aſſignat Scaliger ibi corrigit, & pro 21. annis (annos 29. quos Ioſephus libro 1. contra Apionem habet, Scaliger alto ſilentio omninò prætiterit) numerandos eſſe 19. annos dicit, quia Ezechiel Propheta diſertè Beroſo refragetur, dum tempus Regni ejus Biennio minus facit. Quod autem Scaliger novam æram ab hujus Regis imperio inſtitutam fuiſſe, ut à Nabonaſaro, aſſerit, eamque eſſe, qua Ezechiel Propheta, in Chaldæa prophetans, ſicut cæteri Chaldæi, tempora ſignaverit: Id eadem facilitate negatur, qua aſſeritur, utpote, quòd nullo teſtimonio probari poteſt. De Nabonaſaro id apud Ptolemæum certum eſt: Sed num illa ipſa æra ſuffragio populorum fuerit conſtituta, & eo ſeculo, quo Nabonaſar in vivis erat, communiter uſurpata: an verò à Ptolemæo, ob id, quod antiquiores Aſtronomicæ obſervationes non extabant, propter calculum Aſtronomicum aſſumpta, valdè incertum eſt. Certè hujus Nabonaſari alibi, quàm apud Ptolemæum (niſi is ſit Salmanaſar, quod tamen Scaliger pag. 214. pernegat) nulla ſit mentio. Quin etiam ipſe Ptolemæus nullam obſervationem, ad æram Nabonaſari immediatè numerat, ſed quæ ſunt antiquiſſimæ, eas ad annos Mardocempadi, quæ ſunt poſteriores, eas ad annos Regni Nabopollaſari, Cambyſis, Darij & aliorum notatas, poſtea demum ad æram Nabonaſari computat. Ita, nulla tàm evidens cauſa, ob quam ab hoc Nebucadnezaro primo peculiaris & nova æra, apud poſteros (quemadmodum à Diocletiano factum legimus) continuanda, potuerit ſanciri, extat. Obtinuit ſanè ferè totius Syriæ & Aſiæ Imperium, addo etiam Ægypti, forſan & Lybiæ: ſed an ſua ipſius virtute bellica illis Regionibus fuerit potitus, an hæreditario jure poſſederit, omninò neſcitur. Id enim nec ex ſacris Literis (in quibus hujus primi Nebucadnezari nulla prorſus ſit mentio, niſi quòd 2. Reg. 23. verſ. 29. Nechao Rex Ægypti, contra Regem Aſſyriorum aſcendiſſe ſcribitur, is, ut circumſtantia temporis fert, hic Nebucadnezar fuit) nec ex ullo prophano Authore, quod ego quidem ſciam, conſtat. Unde niſi Joſephus illud fragmentum ex Beroſo, & Euſebius ex Joſepho exſcripſiſſet, hodiè ejus ſicut multorum aliorum Babyloniæ Regum memoria, omninò nulla extaret.

Deinde ad id, quod Scaliger pro illa ſua nova æra comprobanda, Ezechielis authoritatem allegat, ſimiliter reſpondemus: ſicut iſtud ab ipſo ſimpliciter abſque fundamento & ratione aſſeritur, ita idipſum cum ratione, nec abſque fundamento negatur. Nam nullo modo credibile eſt, Ezechielem Prophetam Judæum, indefinitè ærâ Chaldaicâ nullo Re- 2.

gis Chaldæorum nomine addito, fuiſſe uſum. Exemplo nobis eſt Daniel qui & ipſe in Chaldæa prophetavit. Is certè, licet ante Ezechielem in Babylonem venerit, & poſt, eidem coætaneus ſeu concaptivus fuerit, iſtam æram, quam Scaliger uſitatam fuiſſe putat, neſcit. Ad temporum enim notationem, utitur æra vel annis Regis quovis tempore Imperio præſidentis, præceſſoribus Regibus omninò neglectis. Cùm etiam illam uſitatam, ſi quæ uſitata fuiſſet, in primis cap. 1. & 2. præterire non debuiſſet, tamen cap. 1. ponit ſolummodò annum 3. Jojakim, excluſa æra Babyloniæ (fuit autem, ut ex ſequentibus patebit, iſte, ultimus hujus primi Nebucadnezaris annus) cap. 2. numerat annum ſecundum Nabuchodonoſoris, Magni videlicet. Cur his præſentibus duobus locis æram illam communem, ſi quæ fuit neglexit, quam Ezechiel poſt annos 11. reſumpſit? Item, quæ fuit cauſa, ob quam Ezechiel anno quinto transmigrationis Joachim vel Jechoniæ (fuit is annus 12. Nabuchodonoſoris Magni) æram ſuperioris Regis, quem tamen ne nomine dignatur, reaſſumpſit? Et quod Scaliger pleno ore absque fundamento dicit: *Inventa aliorum de æra Ezechielis falſa eſſe certum eſt*: idipſum falſitatis coarguimus. Nam aliam, & quidem Judaicam æram, cum illo tempore convenientem, quam monſtremus, ipſique opponamus, ſacra Scriptura nobis ſuppeditat, videlicet annum inventæ legis, ſub Joſia, quo anno, maxima cum ſollemnitate Paſcha celebratum, & omnis cultus divinus reſtitutus fuit. Annon autem multò veriſimilius eſt credere, Ezechielem, omneſque pios & fideles Judæos, quorum corpora in Babylone captiva detinebantur, corda autem & animi, atque vota in Judæa. in templo Domini erant, ad Judaicam aliquam memorabilem æram, qualis certè illa fuit, quàm ad alienam & incognitam reſpexiſſe?. Verba Ezechielis cap. 1. ſunt hæc. Et factum eſt in triceſimo anno, in quarto (ſcil. menſe) in quinta (ſcil. die) menſis. Et mox: in quinta (ſcil. die) menſis, ipſe eſt annus quintus transmigrationis Regis Joachin. Hæc autem computatio retrò per annos Regum Juda numerata, incidit præciſè in annum 18. Ioſiæ. Joachin enim ſive Iechonias ante hos 5. transmigrationis annos, regnavit menſes tres, 2. Reg. 24. v. 8. 2. Paralip. 36. v. 9. Eum præceſſit Ioakim annis 11. 2. Reg. 23. v. 36. 2. Paral. 36. v. 5. Ante hunc frater Ioachas etiam menſibus tres, 2. Reg. 23. v. 31. 2. Paral. 36. v. 2. quibus ſi adjungantur 14. poſteriores anni Ioſiæ, incipiendo ab anno ejus 18. incluſivè (regnavit enim annos 31. 2. Reg. 22. v. 1. 2. Paral. 34. v. 1.) colligentur anni 30. Ergò annus 18. Ioſiæ eſt primus horum 30. annorum. At, eo ipſo anno Ioſias reſtaurari fecit ruinas Templi, qua occaſione Liber Legis Domini, per multos annos amiſſus repertus fuit, & inde verus cultus divinus à Ioſia fuit reſtitutus. Inſuper

etiam

etiam Paſcha tanta cum ſolemnitate celebratum eſt, ut 2. Reg. *23*. v. 22. legitur: Nec eſt factum Phaſe tale à diebus Iudicum, qui judicaverunt Iſraël, & omnium dierum Regum Iſraël & Regum Iudæ, ſicut in octavo decimo anno Regis Ioſiæ, factum eſt Phaſe iſtud Domino in Ieruſalem. Et 2. Paral *35*. v. 18. non fuit Phaſe ſimile huic, in Iſraël à diebus Samuelis Prophetæ: ſed nec quiſquam de cunctis Regibus Iſraël fecit Phaſe ſicut Ioſias, Sacerdotibus & Levitis ex omni Iuda & Iſraël, qui repertus fuerat, & habitantibus in Ieruſalem. Octavo decimo anno Regni Ioſiæ, hoc Phaſe celebratum eſt. Idem hic annus, ut alibi docemus, Sabbatarius quoque fuit, quod etiam ex celebri conventu omnium procerum & populi Regni, atque ex ſolenni Lectione Legis, juxta mandatum Domini, Deut. *31*. liquet, *2*. Reg. *23*. v. 1. *2*. 2. Paral. *34*. v. *29*. *30*. Ecce hic eſt inſignis aliquis annus, qui meritò factus eſt æra piorum Prophetarum. Hinc etiam tertius Liber Eſdræ (apocryphus quidem) ab hoc 18. anno Ioſiæ, ejuſque hoc celebrato Paſchate incipit. Mirum ergò eſt, Scaligerum illam Ezechielis æram, non huic memorabili Epochæ potiùs, quàm illi ignoto Regi, & quidem contra expreſſam Beroſi, quem tamen alibi ſtrictiſſimè ſequitur, authoritatem applicaſſe, atque inde numeros Beroſi corrigere non dubitaſſe. Scaliger ergò tàm hos Nebucadnezari primi, quàm illos Cyri annos malè coarctat & detruncat.

Tertium Scaligeri argumentum, à cognominatione ſumptum, facilè eludi poteſt, utpote nimis leve. Reges illos veteres varia habuiſſe & 31
nomina & cognomina, certum eſt. Sedechias ante nominabatur Mathanias. Sedechias autem vel Zedechias à Nabuchodonoſore appellatus eſt, 2. Reg. *24*. v. 17. Ioachaz filius Ioſiæ, quem Nechao Rex Ægypti abduxit, nominatur Ierem. 22. v. 11. Sallum, &c. Sic Nebucadnezar ille Magnus, communiter vocatur Nabuchodonoſor. Ieremias eum ubique nominat Nebucadnezar. Quin & ipſe hujus Nabuchodonoſori Magni Pater, appellatur, ut ſuprà diximus, ab Euſebio Nabopollaſarus, à Ioſepho contra Apionem Naballaſarus, & ab eodem Ioſepho in antiquit. Nabuchodonoſorus, æquè ac ejus filius, cum tamen tribus iſtis locis verba ex uno & eodem loco Beroſi ſint transſumpta. Quod ſi tàm pater, quàm filius à Ioſepho nominantur Nabuchodonoſori, quid mirabitur quis, ſi etiam uterque dictus fuit Nabopollaſarus, ſicut etiam nunc multi eos vocant Nebucadnezarem, disjunctionis autem gratia, patrem vocant primum, & filium appellant Magnum.

Abundè huc usque & ſufficienter (ſumma, propter certum tranſitum ex ſacra hiſtoria in authores prophanas confirmandum, neceſſitate poſtulante) demonſtrandum fuit, illum Ptolemæi Nabopollaſarum ne-

quaquam eſſe Nabuchodonoſorem vel Nebucadnezarem primum, neq; ullum alium priorum, aut poſt Nebucadnezarem Magnum, poſteriorum Regum. Relinquitur ergò indubitatò, eum eſſe Nebucadnezarem Magnum, qui tres Reges Iuda captos, in Babylonem abſtraxit, Iojakimum, quem tamen brevi in patriam remiſit, Iechoniam & Zedechiam, quos duos, ibi ad dies vitæ in exilio detinuit. Quod autem Ioſephus ex eodem Beroſi fragmento, diverſos Regni annos Nabuchodonoſoro patri attribuit nimirum libr. 10. cap. 11. Antiquit. atque inde etiam Euſeb. libr. 9. præparat. Evangel. annos 21. Sed libr. 1. contra Apionem annos 29. id nobis non obſtat, nam de fine illius Regni, major ſolicitudo nos tenet, quàm de initio. Nobis ergò ejusdem eſt ſive 21. ſive 29. annos imperaverit. Siquidem de antecedentibus Babyloniorum Regibus, nihil propè certi, quàm ex obſcuris quibusdam Authoribus, quorum fides admodum eſt languida, habemus. Eodem ergò etiam initium hujus Regis rejicimus, ſi modò de fine ejus ſimus certi.

7. Fragmentum Beroſi cujus crebra mentio allegatur.

Fecimus aliquoties mentionem fragmenti, quod ex Beroſo Ioſephus & Euſebius transſcripſerunt. Id quoniam quædam memoratu digna & cum Scriptura ſacra conſentanea habet, operæ prætium puto ut hîc apponatur.

Ioſephus libr. 10. cap. 11. Antiquit. Meminit ejus (Nabuchodonoſori) rerum geſtarum, etiam Beroſus in tertio rerum Chaldaicarum his verbis. Pater autem Nabuchodonoſorus, audito, quod Satrapæ, quem Ægypto, & cavæ Syriæ, Pheniciæque præfecerat, defeciſſet, ipſe autem non amplius labores militiæ ferre poſſet: tradidit Nabuchodonoſoro filio, ætate valenti, quandam exercitus partem, eumque contra illum miſit. Nabuchodonoſorus autem ſignis cum defectore collatis, & congreſſus, ipſum devicit, & provinciam ex iſto dominatu ad ſuum Regnum retraxit. At eodem tempore accidit patri ejus Nabuchodonoſoro, morbo decumbenti, ut in Babyloniorum Urbe vita fungeretur, poſtquàm regnaſſet annos 21. Cognita autem non multùm poſt patris morte, Nabuchodonoſorus, diſpoſitis rebus, quæ Ægyptum & reliquam provinciam concernebant, atque captivos Iudæorum, & Phænicum, & Syrorum, & Ægyptiacorum populorum, quibusdam ex amicis commiſit, ut unà cum impedimentis exercitus & reliqua præda, Babylonem aſportarent: ipſe, iter cum paucis ingreſſus per deſertum, Babylonem properavit. Cùm autem Gubernationem à Chaldæis (interim) adminiſtratam, Regnumque ab optimatu eorum præcipuo aſſervatum ſuſcepiſſet, factus eſt Dominus totius paterni Imperij. Captivis verò advenientibus, diſpoſuit colonias in oportuniſſimis Babyloniæ locis, &c. Idem hoc fragmentum Ioſephus

phus

phus repetit libr. 1. contra Apionem, niſi quòd pauciſſima quædam verba manente tamen per omnia ſenſu, variet. Inter quæ ſunt, quòd Nabuchodonoſori patrem, non Nabuchodonoſorum, ſed Nabollaſarum vocat, & annos Regni ejus non 21. ſed *29* numerat.

Euſebius libr. *9*. de præpar. Evang. circa finem. His neceſſe eſt, inquit, ut adjungam ( ſcil. ex Beroſo quemadmodum ex Ioſepho conſtat) etiam ea, quæ circa Iudæorum captivitatem ſub Nabuchodonoſoro acciderunt. Is poſtquàm exercitum adverſus defectorem eduxiſſet, & cum eo congreſſus eum deviciſſet, omnem provinciam rurſus ad ſuum Regnum retraxit. At eodem tempore accidit, patri ejus Nabopollaſaro, morbo decumbenti, ut in Babyloniorum Urbe vita fungeretur, poſtquàm regnaſſet annos *21*. Nabuchodonoſorus autem, cognita non multo tempore poſt patris morte, diſpoſitis rebus, quæ Ægyptum concernunt, reliquam provinciam, atque captivos Iudæorum, & Phænicum, & Syrorum, earum Gentium, quæ circa Ægyptum ſunt, commiſit quibusdam amicis, ipſeque Babylonem properavit.

Hæc cum ſacra Scriptura egregiè conveniunt. De Defectore legitur *2*. Reg. *23*. v. *29*. & *2*. Paral. *35*. v. *20*. quòd Pharao Necho Rex Ægypti, quem Beroſus Satrapam, tanquam Aſſyriorum Regis vaſallum vocat, aſcenderit adverſus Regem Aſſyriorum, pugnaturus contra Urbem Charchemis, juxta Euphraten. Iſtud autem Pharao Necho fecit Domino mandante 1. Paral. *35*. v. *21*. & *22*. forſan per Prophetam aliquem, & procul dubio, tùm contra Aſſyrios feliciter pugnavit, Urbemque Charchemis in ſuam poteſtatem redegit, quanquam etiam Pharaoni hæc defectio & bellum adverſus Regem Aſſyriorum non diu benè ceſſit. Hac autem profectione, occurrentem ſibi Ioſiam, & tranſitum ſibi prohibere volentem devicit, atque cùm poſt tres Menſes confecto bello rediiſſet, Ioachaz filium Ioſiæ, quem populus Iudaicus Regem in locum patris collocarat, depoſuit, ſecumque captivum in Ægyptum tranſportavit, terramque Iudeæ gravi exactione mulctavit, *2*. Reg. *23*. v. *35*. *2*. Paral. *36*. v. *3*. pro Rege autem conſtituit fratrem ejus Eliakim, quem ipſe nominavit Iojakim. Babylonius Rex ergò, qui, ut ex Beroſo videre eſt, fuit Nabuchodonoſor primus, poſt triennium miſit filium Nebucadnezarem, qui obſedit Ieruſalem & Domino eam tradente, cepit Regem, & magnam partem vaſorum domus DEI in Babylonem aſportavit, qua captivitate Daniel quoque abductus fuit, Daniel. 1. Et hoc eſt, quod 2. Reg *2*4. v. 1. dicitur. In diebus ejus aſcendit Nabuchodonoſor Rex Babylonis. Et 2. Paral. ult. v. *6*. contra hunc aſcendit Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem, ad quam & vaſa Domini tranſtulit, & poſuit ea

8 Eorũ cum SS. conſenſ9 demonſtratur.

in templo ſuo. Nec mirum eſt, quòd anno quarto ſequente Babylonius venerit Ægyptium ulturus. Nam & ſequentibus temporibus, Darius Hyſtaſpis triennium inſumpſit, præparans ſe adverſus Græciam, & cùm quarto anno, Ægyptius deficeret, plus temporis præparationi addit, cùmque altero ab hac defectione anno, moreretur, filius Xerxes ſecundo à patris morte anno, contra Ægyptum proficiſcitur, inde verò eâ debellatâ turſus per totum quadriennium exercitum comparat, & dèmum quarto anno contra Græciam movet. Herodot. libr. 7.

Veriſimile autem eſt, Jojakimum mox eodem anno ex Babylone fuiſſe remiſſum, forſan (quòd pœnitentiam, ſicut Manaſſes, egit, quam tamen poſt, non ſicut ille continuavit) vel quòd Nebucadnezar pro felici auſpicio Regni, eum hâc gratiâ dignatus fuerit, vel quòd precibus intervenientibus fuerit liberatus. Cedrenus ex itinere dimiſſum ait (Danielem verò in captivitate detinuit) Nam anni quarti Joakimi, qui eſt annus primus Nebucadnezaris, ſicut & aliorum ſæpè fit mentio apud Ieremiam. Ergò, Joakim tùm Regno ſuo fuit reſtitutus, & liber regnavit. Cumque annus ille quartus, ſit primus Nebucadnezaris, Ierem. 25 v. 1. ſequitur annum tertium Ioakimi, Daniel. 1. quo captus, & catenis in Babel fuit abductus, eſſe annum ultimum Nabuchodonoſoris patris. Præterea quod Nebucadnezar eadem expeditione debellaverit Ægyptium Regem, conſtat ex Ierem. 46. v. 1. & 2. factum eſt verbum Domini ad Prophetam Ieremiam contra Gentes ad Ægyptum adverſum exercitum Pharaonis Nechao Regis Ægypti, qui erat juxta fluvium Euphraten in Charcamis, quem percuſſit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, in quarto anno Ioakim filii Ioſiæ, Regis Iuda, &c. Iſtud procul dubio, circa principium anni quarti, Ioakimo reſtituto, patre autem Nabuchodonoſoro adhuc vivo factum eſt, vel, quod à veritate abſonum quoque non eſt, poſtquam Nebucadnezar, patre mortuo domum properavit, factum id fuit per amicos ſuos, quibus, ut Beroſus ait, omnes res illas commiſit. Eo autem tempore Ægyptiorum Rex adeò fuit debellatus, ut de eo ſcribatur 2. Regum, cap. 24. v. 7. & non ultra addidit Rex Ægypti ut egrederetur de terra ſua, tulerat enim Rex Babylonis, à rivo Ægypti, uſque ad fluvium Euphraten, omnia, quæ fuerant Regis Ægypti. Quia ergò illud Beroſi fragmentum, cum Scriptura tàm egregiè convenit, ejus quoque res geſtas pluribus circumſtantijs illuſtrat, ex eo colligimus, quod etiam in cæteris fidem mereatur.

Quoniam igitur juxta noſtras demonſtrationes Chronologicas, ex ſacra Scriptura à creatione Mundi, ad annum 18. Nebucadnezari Magni, incluſivè annum proximum ante captivatum Zedechiam, qui Iubilæus

fuit,

fuit, Ierem. 34. numeramus annos $3472\frac{1}{4}$. (hoc eſt, usque ad primum ejus annum, annos $3454\frac{3}{4}$.) atque inde, usque ad vulgare initium annorum Chriſti, mediante calculo Aſtronomico, annos $606\frac{1}{2}$. ab eo autem ad præſentis 1600. anni Autumnum (nam in Autumno mundum creatum eſſe judicamus) annos $1599\frac{3}{4}$ colligentur à creato orbe, ad uſualem Epocham Chriſti, anni $4079\frac{1}{4}$ ad hujus autem 1600. anni Autumnum, anni 5679.

Univerſali igitur tempore, atque ex ſacra Hiſtoria in prophanas tranſitu demonſtrato, nunc quarundam particularium hiſtoriarum Chronologias inquiremus.

## II. Quæstio.

## *Sub quibus Regibus Babyloniorum ſive Aſſyriorum, Populus Judaicus 70. Annos captivus fuerit detentus: & quàm diù quisque eorum regnaverit, usque ad Cyrum Regem Perſarum, qui Monarchiam Aſſyriorum ad Perſas transtulit.*

Optandum eſſet, extare pleniores de Regibus Babyloniorum hiſtorias, verùm quoniam iſtud optari quidem, ſed non exoptari poteſt, neceſſitas requirit, ut ex iis, quæ apud Hiſtoricos, vel particulatim & conciſim, vel in fragmentis invenimus, quod verum eſt, diligenter inquiramus. 1. Ordo & numerus Regũ Babyl. in SS. integer non habetur.

Reges Babylonij qui fuerint, quibus Iudæi ſerviverunt, ex ſacra Scriptura docere non poſſumus, Ieremias quidem cap. 27. ex vaticinio ſic loquitur: Et ſervient ei (Nabuchodonoſoro) omnes gentes, & filio ejus, & filio filij ejus, donec veniat tempus terræ ejus & ipſius. Verùm quomodo iſta verba accipienda ſint, num tantum de tribus Regibus, liquidò non patet. Poſt Nebucadnezarem Magnum, ſeu Nabuchodonoſorum, nominatur Evilmerodach, 2. Regum. ult. & Ieremiæ ult. Hunc fuiſſe ejus filium, & ſtatim immediatè patri ſucceſſiſſe, non quidem ex ſacra Scriptura, ſed aliunde, ut dicemus, ſcitur. Apud Danielem nihil de hoc, ſed de alio, videlicet Belſazaro, plura. Ejus pater dicitur cap. 5. v. 2. 11. 13. 18.

fuiſſe

fuiſſe Nebucadnezar Magnus, & verſ. 22. ipſe ejus filius. Eum autem ejus nepotem, & Nebucadnezarem ejus avum fuiſſe (qui tamen in Scriptura filij & patres dici ſolent) aliunde etiam cognoſcimus. Daniel item de Dario filio Aſſueri, de ſemine Medorum plura refert, atque etiam de Cyro. Ergò populus Iudaicus ſervivit non tantùm Regi Nabuchodonoſoro, & duobus alijs ex ejus proſapia natis Regibus, ſed etiam alienigenis Dario & Cyro, antequam in patriam ſoluta captivitate reverteretur. Ieremias ergò allegato capite Reges ab antiquorum Babyloniorum Regum linea extraneos per ſaltum præterit. Nec eſt, ut Prophetiam ullius incertitudinis aut falſitatis inſimulemus: ſed potiùs huic ſacræ Scripturæ uſitatæ vaticiniorum conſuetudini piè & cum ſubmiſſa reverentia aſueſcamus. Similima autem Prophetia extat apud Danielem cap. 11. Ecce adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide, & quartus ditabitur opibus nimijs ſuper omnes, & cum invaluerit divitijs ſuis, concitabit omnia adverſum Regnum Græciæ. Surget autem Rex fortis, & dominabitur poteſtate multa, & faciet quod placuerit ei, &c. Quibus verbis Angelus ad Prophetam Daniel loquitur. 1. De ipſo Cyro, qui aliquamdiu poſt illud vaticinium regnavit. 2. De Cambyſe Cyri filiò. 3. De Dario Hiſtaſpi, & 4. De Xerxe, terrore Græciæ. (nemo enim eſt, qui ex verbis Angeli, Xerxen non agnoſcat) At inde per magnum & ultra multos Reges alios (de quibus infrà) intermedios, ſaltum, tranſilit ad Alexandrum magnum, quem itidem ex verbis Angeli nemo non agnoſcit. Nec tamen exiſtimandum eſt, illos cæteros intermedios Reges, oraculo divino fuiſſe incognitos. Ita etiam hæc apud Ieremiam cap. 27. Prophetia eſt interpretanda.

Quoniam ergò in ſcriptura Sacra, non modò nulla horum Regum ſeries, quomodo ſcil. mediatè an immediatè alter alteri ſucceſſerit, ſed etiam quàm diu hic vel alius regno præfuerit, indicatur (ſolo Nabuchodonoſoro excepto, quem 43. annos regnaſſe, ex eo colligitur, quod 2. Regum ult. & Ieremiæ ult. primus annus Evilmerodach eſt annus 37$^{mus}$ transmigrationis Iechoniæ, Iechonias ergò ſub Nabuchodonoſoro captivus, & quidem contra datam fidem, ut Ioſephus libr. 10. cap. 12. Antiquit. ait, in domo carceris atque in vinculis detentus fuit annos 36. quibus additi ſeptem anni, Iechoniam enim Nabuchodonoſor anno Regni ſui octavo, abduxit, colliguntur anni Nabuchodonoſori 43.) igitur pro temporum Chronologia continuanda profana ſcripta conſulenda erunt. At unde eam habebimus?

2. In profanis Scriptoribus multa quoque deſiderantur.

Iuſtinus libr. 1. ubi de Babylonis expugnatione, Cyrique victoria ſcribit, nimis brevis eſt, nec ullius Babylonici Regis ullam facit mentionem.

Hero-

Herodotus libr. 1. duos tantùm in medium producit Reges, ſed nihil de annis Imperij eorum addit. Priorem Labynetum Λαβύνητον vocat, qui unà cum Ciliæ, Syennenſi Rege, pacis poſt Sexennale bellum inter Lydos & Medos, conſtituendæ Author fuerit. Hunc Nebucadnezarem Magnum fuiſſe oportet, ſicut colligitur ex ſolari Eclipſi, quæ anno ſexto illius belli contigit, quando commiſſo prælio, & æquo marte Lydis & Medis certantibus dies repentè nox effecta ſcribitur. Eam verò Eclipſin Herodotus à Thalete fuiſſe prædictam refert. Facta ergò eſt Plinio libr. 2. cap. 12. teſte, olymp. 48. anno 4. mox nimirum inceptuto, hoc eſt, tertio jam jam exeunte. Is fuit annus 585. ante Chriſtum, ejusque juxta calculum Aſtronomicum dies 28. Maij, itaque annus 41. Nebucadnezaris Magni. Alterum Babyloniorum Regem Λαβύνιτον Labynitum vocat, Labyneti illius & Nitocridis, quam propter inſolita & nimis magnifica opera Semiramidem ſuperaſſe ait, filium. Adverſus hunc, patris nomen & Aſſyriæ regnum habentem, dicit Herodotus, Cyrus exercitum duxit. Apud Herodotum ergò, non plures Reges durante captivitate ad Cyrum, quàm duos invenimus, nempe Nebucadnezarem, ejusque filium, quem Cyrus regno exuit. Iſtis autem ut fidem habeamus, ſacræ Scripturæ authoritas obſtat, quæ diſertè Nebucadnezarem, Evilmerodachum, Belſazarem & Darium, Cyro præmittit.

Joſephus, qui iſtarum difficultatum optimus interpres eſſe debebat, hîc nos ſimiliter deſerit. Is enim libr. 10. cap. 11. & 12. plures quidem Reges enumerat, eorumque tempora percenſet, ſed quæ manifeſtiſſimæ falſitatis ſeſe coarguunt. Nabuchodonoſoro aſſignat 43. annos, quot etiam ex ſacris Literis colliguntur. Ejus autem filium, quem Abilamarodachum vocat, eum ſcilicet, qui Jechoniam ex carcere elevavit, ſucceſſiſſe refert annos duos de viginti. Huic ſubjungit filium, qui Nigliſar nominatus fuit, annos 40. Inde etiam hujus filium Laboſardachum novem menſes. Poſt iſtius autem mortem ait, Regnum tranſijſſe ad Balthaſarum, qui Babylonijs Naboandel nominetur. Atque hujus anno 17. Cyrum Perſarum & Darium, Medorum Reges, aſſerit bellum intuliſſe & Babylonem cepiſſe. Atque ſic in hoc poſteritatem Nabuchodonoſori deſijſſe: Darium verò Aſtyagis filium, cùm adjutus à Cyro, cognato ſuo, extingueret Babyloniorum Imperium, egiſſe annum 62. qui ætatis Darij numerus habetur, Daniel. 5 v. ult. Verùm ſi connumeremus annos 25. poſteriores Nabuchodonoſori (is enim anno 19. labente, Zedechiam, templo & urbe vaſtatis, abduxit) annos 18. Abilamarodachi, annos 40. Nigliſaris, novem menſes Laboſardachi, & 17. annos Balthaſari, ultra annos 100. inveniemus, qui tamen ipſo Ioſepho libr. 10. cap. 11. & libr. 12. cap. 4

Antiquit. & libr. 1. contra Apionem conſentiente à civitate deſolata, ad Cyrum tantum 70. eſſe debebant. Iſtum 100. annorum numerum animadvertit etiam Beda libr. 6. de ætatibus Mundi, ætate quinta. Addit tamen ibi (ſi tamen ipſe ſic ſcripſit, & non codex fallit mendoſus: quæ eadem verba HermannusContractus ad annum mundi 3389. transſcripſit) Nonnulli hos Ioſephi numeros, partim augent, partim contrahere ſtudent, ſed cùm ſuas conjecturas abſque authoritate ſequantur, nos quare Evilmerodachi annis plures addendos, Nigliſaris verò decimandos ſtatuant, non videmus. Alij neſcio quos alios Reges & tempora commiſcuntur.

3 Beroſus & Megaſthenes genuini omnium certiſſimi.

Beroſus verò hos Reges longè aliter adhibitis competentibus ad Chronologiam circumſtantijs, recenſet. Ejus fragmentum extat apud Ioſephum libr. 1. contra Apionem, & apud Euſebium libr. 9. de præparatione Evang. ijſdem quàm proximè verbis, niſi quòd nomina propria paulò aliter ſonant, in hunc modum. Nabuchodonoſorus in morbum incidit, vitaque functus eſt, cum regnaſſet annos 43. Regni autem Dominus effectus eſt filius ejus Evilmeraduchus vel Evilmaluruchus (prius nomen apud Ioſeph. alterum apud Euſeb. ſic legitur, ſic etiam in ſeqq. prius nomen in Ioſepho, poſterius in Euſebio habetur.) Is quia ſceleratè & petulanter Reip. præfuit, Inſidijs à Niriglíſſorooro, vel Nirigliſare, ſuo ſororio, petitus & ſublatus eſt, cùm regnaſſet annos duos. Poſt hunc verò ſublatum, in principatu ſucceſſit Nirigliſſoroorus, vel Nirigliſares, qui inſidias ei fecerat, & regnavit annos quatuor. Hujus filius Laboroſoardochus vel Ghaboeſſoarâchus Regni habenas tenuit, adhuc puer menſes novem. Per inſidias autem perijt, eò, quòd ſe nimis malorum eſſe morum prodidit; & ab amicis fuſtibus (quaſi tympanum piſtillo pulſantibus ἀπετυμπανίσθη) occiſus eſt. Quo ſic perempto, necis ejus authores, conſilio inter ſe habito, communibus ſuffragijs, Regnum tradiderunt Nabonnedo vel Nabonnido, cuidam, qui & ipſe ex Babylonia, & (ἐκ τῆς ἐξ αὐτῆς ἐπισυστάσεως, vel, ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως,) ejuſdem factionis vel conſpirationis particeps erat. Sub hoc, urbis Babyloniorum mœnia juxta flumen ex cocto latere, & bitumine ſpecioſè extructa ſunt. Anno Regni iſtius 17mo Cyrus, qui jam ex Perſide in manu forti egreſſus, univerſam reliquam Aſiam ſubegerat, bello etiam Babylonem invaſit. Nabonnidus autem expeditione ejus cognita, ei fortiter occurrit, at commiſſo prælio victus, cum paucis fugit, & in Borſippenſium Urbe ſe vallavit. Cyrus verò Babyloniam adoriens, diſpoſuit, qui exteriores ejus muros funditùs demolirentur: Videbatur enim Urbs plurimum ei negotij faceſſitura, & expugnatu difficilis futura. Inde Caſtra Borſippo admovit, Nabonnedum

obſi-

obſidione capturus. Nabonneudus verò, quia obſidionem ſuſtinere non valebat, ſupplex primum ei factus eſt. Quem Cyrus humaniter tractavit, eique ex Babylone relegato, Carmeniam poſſidendam conceſſit. Nabonnedus igitur per reliquum tempus in illa Provincia degens, vitam clauſit.

Megaſthenes quoque, cujus fragmentum apud eundem Euſebium ibidem legitur, hos eoſdem Reges ex ordine, mutatis tamen paululum nonnullis nominum ſyllabis, & abſque numero annorum Imperij recenſet: quod, quia non pauca memoratu digna continet, totum quoque huc apponemus. Megaſthenes dicit, Nabuchodonoſorum Hercule fuiſſe fortiorem. Ipſe enim Lybiam & Hiberiam bello adortus eſt: eiſque ſubactis, partem earum in dextrûm Ponti latus coloniam tranſtulit. Poſthæc Chaldæis recenſet, quomodo (Nabuchodonoſorus) conſcenſa Regia à Deo quodam, quiſquis is ſit, fuerit afflatus, elavataque voce dixerit: Ego, ô Babylonij, ille Nabuchodonoſorus prænuncio vobis futuram calamitatem, quam neque Belus meus proavus, neque Regina Beltis, Parcis perſuadendo, avertere poterint. Veniet Perſa Mulus, veſtris adjutis dijs auxiliantibus, & ſervitutem adducet. Ejus coadjutor (*συναίτιος*) erit Medes, Aſſyriorum fiducia (*τὸ ἀσσύριον αὔχημα*, in quo Aſſyrij omnem libertatis retinendæ & vindicandæ ſpem collocabunt.) Vtinam ipſum (hunc Meden) priusquam cives (ei) tradantur, Charybdis aliqua aut Mare abripiat, & radicitùs evertat: aut in aliam viam ipſe averſus, feratur per loca deſerta, ubi neque Urbes, neque veſtigia hominum, ſed beſtiæ ſua jura habent, & volucres oberrant, & ipſe in petris atque terræ voraginibus ſolus vagetur: Ego verò priusquàm in mentem iſta inducat, felici fato fungar. Et hæc vaticinatus, eveſtigiò diſparuit. Iſtud Megaſthenes non ut nudum vel fortuitum vaticinium, ſed quod eventu ſit comprobatum recitat. Ejus verò filius Evilmadurochus regnavit. Qui autem hunc occîdit, ejus affinis Nigliſſares, reliquit filium Labaſſoaraſcum. Hoc quoque violenta morte necato, Nabonnidochum declarant (vel Babylonij, vel occiſores.) Regem, ad ſe nihil pertinentem: At hunc Cyrus capta Babylone, Carmeniæ præfecturâ donat.

Vides quàm difficile ſit, ex hac hiſtoricarum relationum diſcrepantia, eam, quæ vera hiſtoria eſt, eruere. Plerique Chronologi, ſequentes Ioſephum, pro indubitato aſſumunt, quod ultimus Babyloniorum Rex, à Beroſo & Megaſthene Nabonnedus, ſive Nabonnidochus, ab Herodoto Labynitus dictus, ſit Belſazar Danielis, quem Darius adjuvante Cyro, ſive Cyrus adjuvante Dario, qui ejus avunculus, Cyaxares nomine, putatur, occiderit. Verùm Beroſus & Megaſthenes non hunc Nabonnidum, ſed

alium quendam, nempè Laboroſoarchodum vel Labaſſoaraſcum fuiſſe trucidatum referunt. E contrà autem Cyrum cum eo, contra quem exercitum duxit, multò clementiùs egiſſe, etſi enim eum extra Urbem Babylonem relegavit, præfecturæ tamen in Carmenia ad dies vitæ præpoſuit.

His verò omnibus diligenter diſcuſſis, & in utramque partem circumſpectè examinatis, nos unà cum Scaligero libr. emend. temp. pag. 277 & ſeqq. Sepoſito non tantum Herodoto, ſed etiam Ioſepho, cum omnibus, qui eum ſequuntur, omninò præferendos judicamus, Beroſum & Megaſthenem. Quanquam Scaliger alibi non pauca, quin etiam in hac quæſtione nonnulla habeat, quibus conſentire nequaquam poſſumus: ipſum tamẽ in principali hujꝰ præſentis materiæ ſtatu à vero non aberrare, pluribus & indubitatis rationibus omninò perſuademur. Herodoto enim, ut vidimus, ipſa ſacra ſcriptura contraria eſt: Joſephi autem numeri, quod luce meridiana clarius eſt, ſunt fallaces. Quem autem alium ſequamur, non extat. Et licet de hiſce Regibus alii poſteriùs pleniora ſcripſiſſent, annon illi antiquiores & quaſi oculares teſtes, & quibus haud dubiè ipſa Chaldæorum archiva inſpicere contigit, plus fidei mererentur? Et quidem Ioſephus ipſe, Beroſum rerum Chaldaicarum, & Megaſthenem, rerum Iudaicarum ſcriptores ſæpè commendat. Athenienſes quoque Plinio libr. 7. cap. 37. teſte, ei, propter divinas prædictiones publicè in Gymnaſio ſtatuam inaurata lingua ſtatuerunt. Quod ſi ibi veridicus inventus fuit, dubium non eſt, quin etiam bona fide hiſtorias Chaldaicas (Chaldæum enim fuiſſe, ſive ex Chaldæorum civitatibus vel natione, Vitruvius libr. 9. cap. 1. teſtis eſt, progreſſum fuiſſe, inde nimirum oriundum) conſcripſerit. Sic idem Plinius libr. 6. cap. 16. Megaſthenem ut Authorem fide dignum, qui cum Indicis Regibus moratus ſit, allegat. Veruntamen nec Scaligero, nec nobis, de iis libris ſermo eſt, qui ſub Beroſi & Megaſthenis (ipſo etiam nomine ridiculè corrupto cùm Megaſthenes ſit) nomine venditantur, non ita pridem operâ Annij cujusdam Viterbienſis publicati, avorum memoriâ ab otioſo ſeu potius malitioſo quodam malitiosè confićti, quia non pauca tàm ſacræ Scripturæ, quàm aliorum fide dignorum atteſtationibus, item hiſce, quæ authentica ab aliis citantur, fragmentis contraria tradunt, rectiſſimè pro futilibus figmentis cenſentur. Hac autem præſenti quæſtione nos Ioſephus, licet ipſe aliter ſentiat, & Euſebius, bearunt, qui hæc fragmenta ſuis ſcriptis inſerta nobis communicaverunt. Hiſtoriam igitur ita ſe habere indubia ratiocinatione depræhenditur.

4. Non Annij fictitij Viterbienſis.

5. Ex Regibus.

A primo Anno Nebucadnezari Magni, uſque ad primum Evilmerodachi annum intercidere annos 43. unanimiter Beroſus & Megaſthenes,

nes, cum ſacra Scriptura ſcribunt: eumque illius filium ambo aſſerunt, quod & ipſum cum Prophetia Ieremiæ cap. 27. v. 7. concordat. Quibus initijs uterque, Beroſus & Megaſthenes, magnam Authoritatem ſibi conciliat, ut etiam in ſequentibus, ubi ſacra Scriptura definit, fide non indigni habeantur. Babyl. Nabuchodonoſor regnavit Annos 43.

Hic Evilmerodach ſive Evilmaraduchus, aut Evilmaluruchus, vel Evilmaduruchus, ſecundum Beroſum & Megaſthenem, tantum biennium imperavit, & ab affine ſuo (κηδεςῶ) qui ſororem ejus, filiam Nebubucadnezaris habebat uxorem, fuit interfectus. Ioſephus attribuit ei annos 18. nonnulli eidem annos 23. vel etiam 28. aſcribunt, ſed eorum conjecturam quidem nudam video, Authoritatem nullam video. Videri ſanè poteſt, tempus biennij Regno Evilmerodachi non ſufficere, pro ſatisfaciendo ijs, quæ habentur 2. Regum & Ieremiæ capitibus ultimis, ubi ſic legitur: *Et factum eſt anno 37. transmigrationis Ioachim (Iechoniæ) Regis Iuda, duodecimo menſe, 27. (vel 25.) die menſis elevavit Evilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, (vel ipſo anno Regni ſui) caput Ioachim Regis Iuda, & eduxit eum de domo carceris, & loquutus eſt ei benignè, & poſuit thronum ejus, ſuper thronos Regum, qui erant cum eo (vel, poſt ſe) in Babylone. Et mutavit veſtimenta carceris ejus, & comedebat panem ſemper in conſpectu ejus, cunctis diebus vitæ ejus.* Hæc inquam videntur plures quàm duos tantum annos poſtulare. Verùm ſolutio facilis eſt. Quæ Evilmerodach de Iechonia, authoritate Regia ordinavit & conſtituit, ea tàm ipſi, quàm cæteris Regibus rata eſſe etiam debuerunt. Similem Authoritatem habuerunt etiam Statuta Medorum & Perſarum, quæ mutare, aut transgredi nemini licuit. Daniel. 5. verſib. 8. 12. 15. Eadem Authoritas in mandato Cyri de reſtauratione Templi Ieroſolymitani cernitur, ubi quidem ſtructura ejus primùm malitioſè fuit impedita, & poſt per mandatum contrarium, atque aperta vi prohibita, non quidem propter mandatum Cyri antiquatum aut abolitum, ſed quia ſequentes Reges, quibus DEUS Iudæorum non erat cordi, in exequutione fuerunt ſegniores, & illud Cyri mandatum oblivioni omninò traditum, factum eſt, ut ſtructura Templi, ſub Artaxerxe, novo mandato penitùs prohiberetur, verùm cùm Darius, illius à Cyro ante plures annos publicati decreti commonefieret, ratum id, tàm ipſi, quàm ſequenti Regi Artaxerxi fuit. Et Regnum Evilmerodachi brevi tempore fuiſſe finitum, textus Biblicus ſat apertè videtur innuere. Sic enim 2. Regum & Ieremiæ ultimo legitur: *Evilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnavit, &c.* & Ieremiæ ult. *Anno Regni ſui*, q. d. tempus Imperij ejus ultra hunc annum admodum breve fuiſſe. 2 Evilmerodach, An. 2.

In hujus autem Evilmerodachi necati locum & Regnum ſucceſſit,
5. Nerigliſſo roorus An. 4. Beroſo & Megaſthene teſtantibus, ſororius ejus, necis Author & Patrator, Nerigliſſoroorus vel Nerigliſſares. Hic regnavit annos quatuor. Ioſephus numerat 40. ſed abſque dubio malè. De hoc apud Danielem nihil legitur.

4. Laboroſoarchotus Menſ. 9. Qui eſt Belſazar Danielis Huic ſucceſſit filius Laboroſoarchodus, vel Chabaeſſoarâchus, vel Labaſſoaraſcus, adhuc puer. Iſtum per novem menſes amici propter inſignes & intollerabiles malos mores violenta morte peremerunt (ἀπετυμπανίσθη, fuſtibus ſeu fuſtigatione contuſus eſt, man hat jhn wie ein wietigen Hund mit Bengeln erſchlagen / τυμπανίζεσθαι, tamen etiam ſignificat exquiſitis tormentis, nervis nimirum, necare.) Hunc rationibus non levibus perſuaſi, cenſemus eſſe Belſazarem Danielis, quæ enim de illo dicuntur, eadem huic Belſazari etiam competunt & contra.

1. Nam 1. hic tàm apud Beroſum & Megaſthenem, quàm apud Danielem poſtremus eſt in familia & poſteritate Nebucadnezaris. Nam illi ejus ſucceſſorem ſcribunt fuiſſe Nabonnidum, unum ex interfectoribus, ad Babylonios nihil pertinentem: Daniel verò Darium ex alia & extranea familia, Medorum ſcil. oriundum ſucceſſiſſe refert. Iſtum autem Laboroſoarchodum fuiſſe, Nebucadnezaris nepotem certum eſt, filius enim fuit Nerigliſſoroori, ſororij & interfectoris ipſius Evilmerodachi. Natus ergò eſt ex filia Nebucadnezaris. Huic competit, quod Daniel cap. 5. v. 2. 11. 13. 18. & 22. nominat Nebucadnezarem hujus patrem, eumque ipſius filium. Novum autem non eſt, avos & abavos in Scriptura appellari patres, & nepotes nominari filios. Sic David Luc. 1. v. 32. vocatur pater Chriſti, & Chriſtus multoties nominatur filius David. Huic congruit quod Ierem. 27. ſcribitur, Iudæos ſervituros eſſe Nebucadnezari & filio ejus atque filio filii (vel filiæ) ſive Nepoti ejus.

2. 2. Uterque tàm Laboroſoardochus, Beroſi & Megaſthenis, quàm Belſazer Danielis, interfectus eſt, non hoſtili manu, ſed domi ex Inſidijs: Beroſus & Megaſthenes ab amicis ex conſpiratione occiſum dicunt. Daniel verò ſimpliciter eum nocte interfectum refert. Quod ſi eum à militibus Cyri aut Darij, vel alterius cujusdam externi hoſtis, qui Babylonem armata manu per vim expugnaſſet, vel ſingulari & aſtuto ſtratagemate occupaſſet, fuiſſet interemptus, Daniel id haudquaquam diſſimulaſſet, ſed id uno atque altero verbulo monuiſſet. Dubium ergò non eſt, Belſazarem etiam Danielis teſtimonio non in bello ab hoſte quaſſante mœnia victum & captum, ſed domi in pace ex inſidijs, per conſpirationem, manu ſuorum amicorum propter κακοήθη perijſſe.

3. Idem

3. Idem ex ſucceſſione intelligitur, quia non hoſtis aliquis externus, qui vel Regi, vel Urbi bellum intulit, ei ſucceſſit, ſed Nabonnidus quidam, apud Beroſum & Megaſthenem, communibus ſuffragijs, vel Procerum, vel Interfectorum in Regem electus eſt, eique Regnum fuit traditum. Paria de Dario Danielis leguntur, eum videlicet ſuſcepiſſe Regnum, ſcil. delatum, non armata manu, aut jure belli captum, vel acquiſitum. Daniel. 5. ἀνεδέξατο τὴν ἀρχὴν, aut παρέλαβεν τὴν βασιλείαν. Et Daniel. 9. ὅστις βασιλεὺς ἀνεδείχθη ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς Χαλδαίων, vel ὃς ἐβασίλευσεν ἐπὶ τὴν βασιλείαν Χαλδαίων, qui accepit ſeu ſuſcepit regnum, & qui Rex declaratus ſeu conſtitutus eſt ſuper Regnum Chaldæorum, vel qui dominabatur Regno Chaldæorum. In Chaldæo ſic legitur, Daniel. 5. verſ. ult. וְדָרְיָוֶשׁ מָדָאָה קַבֵּל מַלְכוּתָא. Et Dariaves Medus ſuſcepit (vel accepit) Regnum jam annorum ſexaginta duorum. Ita Daniel. 9. v. 1. expreſsè legitur: *In anno uno Dariaves filij Achaſueros de ſemine Madai (Medorum) qui conſtitutus Rex fuit ſuper Regnum Chaſdim.* In Chaldæo ſic: בִּשְׁנַת אַחַת לְדָרְיָוֶשׁ בֶּן־אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ מִזֶּרַע מָדָי אֲשֶׁר הָמְלַךְ עַל מַלְכוּת כַּשְׂדִּים. Ergò Rex hic Regnum Chaldæorum non invaſit, ſed oblatum ſuſcepit.

4. Beroſus ipſum παῖδα, puerum vocat. Non autem exiſtimandum putamus eum talem puerum, qui annos quinque vel ſex nondùm exceſſerit. Regnum enim ei propter ætatem nondum fuiſſet concreditum. Sed juvenem ſeu adoleſcentem intelligimus, magis tamen pueriliter, quàm vel ætatem, vel Regiam dignitatem decebat, jam poſt patris mortem, ſub quo, ceu tutore, & morum rectore vel correctore ante vixerat, laſcivientem, libertateque jam adepta petulantiſſimè & improbè abutentem. His profectò, ea ipſa petulantia, de qua Daniel. 5. in prophanatione vaſorum templi Ieroſolymitani, per omnia reſpondet. Quæ vaſa Nebucadnezar ex Ieroſolymis ablata, non ad prophanos uſus deſtinaverat, nec in politicum ærarium repoſuerat, ſed religioſè, more quidem & ritu gentilitio, coluerat, & (Daniel. 1.) in domum DEI ſui, atque in domum theſauri DEI ſui, Beli ſcil. intulerat, ubi etiam à cæteris Regibus eòusque ſanctè aſſervata & cuſtodita fuerant, ea Belſazar, cuſtode & morum refrenatore patre remoto, liberior jam effectus, & genio indulgens, atque Bacchanalia agens, coràm ſe afferri mandavit, ut ex eis ipſe, optimates ejus, & concubinæ ejus vinum biberent, DEUM verò, qui flatum ejus in manu ſua habebat, non glorificavit, ſed Deos argenteos, aureos, æneos, ferreos, ligneos & lapideos laudari fecit, &c. Sic ejus clamor eodem cap. 5. Daniel. v. 7. ſatis puerilis eſt, &c. Hinc dubium non eſt, quin

hac petulantia, & ſacrorum vaſorum horrenda prophanatione, præter alia ejus κακοηθ, ejus proceres, quibus aliqua vel veri DEI agnitio, vel politica honeſtas, vel etiam gentilitiorum ſacrorum cura cordi fuit ( non enim veriſimile eſt, quòd hoc Regis factum omnibus placuerit: licet enim illa vaſa ex præda fuerant parta, jam tamen ad cultum DEI ſui Beli, conſecrata aſſervabantur) nimiùm fuerint offenſi, ideoque ipſum tanquam Deorum & hominum contemptorem, è medio tollendum judicarunt priùs, quàm ad ultiorem ætatem perveniens, & ſibi, & toti Regno exitium moliretur. Hinc ergò omninò ſtatuimus Laboroſoardochum Beroſi & Megaſthenis non eſſe alium, quàm Belſazarem Danielis.

Occurritur objectioni. Unicum eſt, quod obſtare videtur, quod Daniel. 8. legitur annus tertius Belſazaris, cùm Beroſus eum tamen novem Menſes regno præfuiſſe dicat. Verùm hanc ἀντιλογίαν facili gloſſa conciliari poſſe cenſemus. Conſtat ex dictis, quod pater ejus Nerigliſſares, non de ſtirpe Regum Babyloniorum prognatus, ſed demum per matrimonium, ut gener Nebucadnezaris, ei inſertus fuit. Inde ergò quid factum ſit, facilè conjicere licet, nimirum quòd procul dubio, vel lege aliqua, vel teſtamento Nebucadnezaris cautum ſit, ut Regni faſces non ad alienos, dummodò de Regio ſanguine quis ſuperſit, deferrentur. Mortuo igitur Nebucadnezari, ſuccedit filius Evilmerodach. Hoc quoque interempto absque Hærede, ut apparet. maſculo, Nirigliſſares Regnum ſibi ipſi rapere quidẽ non potuit, at ne filio huic ſuo, tanquam Nebucadnezaris ex filia nepoti, forſan etiam ex teſtamento, hæredi inſtituto, ( natus enim fuit avo adhuc vivo. Nam veriſimile nequaquam eſt eum, cum ſex annis poſt avi obitum, patri Nerigliſſari, vel Regno cedenti, vel quod veriſimilius eſt, mortuo, Megaſthenes enim dicit Nerigliſſarem reliquiſſe hunc filium, ſexennio minorem fuiſſe) regnum vendicaret, ſeque filij uſque ad annos ætatis legibus determinatos tutorem, & Regni adminiſtratorem, non abſque procerum conſenſu, conſtitueret, nullo jure prohibitus fuit. Daniel igitur Regno filii ejus etiam eos annos, quibus ſub tutela vixit, annumerat: facto initio, non à patris, tutoris, ſed ab Avunculi Regis morte, quando ſcil. Regnum ad ipſum ceu ordinarium & naturalem Hæredem fuit devolutum. Nec iſtis Daniel adverſatur, cùm tertij tantum anni mentionem faciat; quod ſi ſextus vel ſeptimus ejus annus ullibi legeretur, id demum Beroſi numeros & Authoritatem infirmaret.

5. Nabonnedo Annos 17. qui probatur eſſe Darius Medus. His ſic comprobatis, jam de Laboroſoatchadi vel Belſazaris ſucceſſore res planiſſima eſt. Beroſus nominat eum Nabonnedum vel Nabonnidum. Megaſthenes, Nabonnidochum, Daniel Propheta, cap. 5. & 11 Darium Medum, & cap. 9. Darium filium Ahaſueros, de ſemine Medorum.

rum. Ex quo ſimiliter patet iſtum Nabonnedum Beroſi & Megaſthenis, alium non eſſe, quàm Darium Medum Danielis. Verùm, quoniam propter tempus captæ Urbis Babyloniorum, & ſolutæ ſeptuagenariæ captivitatis, plurimum requiritur ſcire, quis iſte Darius vel Nabonnedus ſit, & quando regnaverit, atque quàm diù, præſertim cum plerique Chronologi authoritate Ioſephi, Darium hunc Cyri avunculum Cyaxarem eſſe, putent, eoſque ſimul conjunctis viribus Babylonem cæpiſſe, ſimulque aliquandiu imperaſſe: cùm tamen ſi circumſtantias omnes penitiùs inſpiciamus, res ipſa longè aliter ſe habere deprehendatur: Ideò præter illud argumentum à ſucceſſione (quam nunc, quia certa eſt, præſupponimus) ſumptum, alias rationes etiam videamus. Ratio I.

Secundum ergò Argumentum eſt: Neuter, ut paulò ante docuimus, vi ſive armata manu Babyloniorum Regnum invaſit, ſed utrique ad id vocato, Regnum communibus ſuffragijs, vel totius populi, vel primatum, vel ſaltem eorum, qui Belſazarem interfecerunt, fuit delatum & traditum. 2.

3. In utroque, Regnum Aſſyriorum deſijt. Nabonnidus enim ut Megaſthenes expreſsè dicit, ad Babylonios nihil pertinebat, unde eum Nebucadnezar furiens execratur. Beroſus quoque ait, interfectores Laboroſoarchodi, communibus ſuffragijs, cuidam Nabonnido, uni ſuæ conſpirationis participi, hoc eſt, uni ex Satrapis, apud ipſos degenti, nec non authoritate propter ætatem & rerum experientiam pollenti (ab amicis enim ſive à ſuis Satrapis Rex necatus fuerat) Regnum detuliſſe & tradidiſſe. Ergò nec filius, nec nepos, ſed extraneus fuit, ſua progenie ad Reges Babyloniorum non pertinens, ſeu ut Suetonius in Galba cap. 2. loquitur, nullo gradu Regum Babyloniorum domum attingens. Idem de ſuo Dario indicat Daniel: Medus fuit, Ahaſueri filius, à familia Nebucadnezaris alieniſſimus. 3.

4. Quod de Nabonnido apud Beroſum & Megaſthenem expreſsè dicitur, eum proximè ante Cyrum, Regnum Babyloniæ gubernaſſe, atque ſic Nabonnidum eſſe eum ipſum, adverſus quem Cyrus expeditionem ſuſcepit, & Babylonem expugnavit, id ipſum de Dario ex Daniele, ſi modò verba ejus diligenter, & dextrè expendamus, doceri poteſt. Nam Daniel. 5. poſt Belſazarum occiſum mox ſequitur: Et Darius Medus ſucceſſit in Regnum, annos natus 62. ubi nulla Cyri, tanquam primarij ducis belli aut coadjutoris, fit mentio. Ita Daniel. 6. *Porrò Daniel iſte proſperè egit* (ſic habet Hebræus textus) *in Regno Darii, ET in Regno Cyri Perſæ, ubi copula ET, duorum diverſorum Regum Regna & tempora diſtinguit.* Hic Regnum Darij disertè à Regno Cyri ſeparatur, ergò conjuncta non fuerunt. 4.

d Sic

Sic cap. 9. *In anno primo Darii filii Ahaſueros, de ſemine Medorum,* & cap. 11. *Idem primus annus reperitur, dicit Angelus : Ego ab anno primo Darii Medi ſtabam, &c.* cùm tamen in eodem contextu initio cap. 10. Propheta tertium annum Cyri Regis Perſarum poſuiſſet. Quod ſi Cyrus & Darius ſimul regnare cæperunt, quid opus fuit anno tertio Cyri adjungere annum primum Darij ? cur tempus poſt non æquè ac prius per Cyri, vel etiam per Cyri & Darij annos determinandum fuit ? Quod quidem Propheta initio decimi capitis tertium annum Cyri numerat, cenſent Chronologi, qui Ioſephi ſententiam ſequuntur, Darium tum è vivis exceſſiſſe. At hoc ſi ſit, cum in eadem cohærente materia poſt non æquè dicitur : *Ego ab anno primo Cyri Perſæ, aut anno primo Darii Medi ET Cyri Perſæ ſtabam, &c.* aut quod dictu facilius fuiſſet : Ego ante biennium ſtabam, &c. cauſa alia nulla ſubeſt, quàm quòd Darius & Cyrus diverſis & disjunctis temporibus ſuper Regnum Chaldæorum dominati fuerunt, & quòd inter primum annum Darij, & tertium annum Cyri multo plures, quàm duo anni interceſſerunt. Ex his ergò ſequitur annos Regni Darij cum Cyri imperio non confundendos, ſed ab eo ſeparandos eſſe, & Darium pluribus annis antè regnare cæpiſſe, quàm Cyri nomen apud Chaldæos unquam audiretur. Quòd autem Darius Danielis ſimiliter, ſicut de Nabonnedo Beroſus & Megaſthenes referunt, Cyrum in Regno Chaldæorum immediatè præceſſerit, conſtat ex eo, quod inter Darium & Cyrum, præſertim Daniel. 6. nullus alius interponitur, Cyrus verò Dario ſemper poſtponitur. Quoniam ergò Scriptura iſta ſemper diſtinguit, nos confundenda non cenſemus.

5. Nabonnedum, quod vel maximè notandum eſt, Medum quoque fuiſſe, ſicut de Dario Danielis expreſsè indicatur, tàm liquidè quidem non patet. Atque hoc ipſum exiſtimo, non poſtremum eſſe ex eorum numero, quæ alios Chronologos in erroneam ſententiam abduxerunt. Sed videamus num iſtud etiam doceri poſſit. Hoc enim ſi obtinuerimus, nihil amplius ſupereſſe puto, quod noſtræ ſententiæ tantoperè, quantum hoc ipſum, obſtet.

In fragmento Beroſi, ſuprà recitato, legitur ſanè, Interfectores Laboroſoardochi communibus ſuffragijs Regnum tradidiſſe Nabonnido cuidam, qui & ipſe ex Babylone, & ex eorum factione erat. Quibus verbis Nabonnidus non Medus, ſed Babylonius fuiſſe exiſtimari poteſt. Huic ſententiæ competit, quòd Laboroſoardochus ab amicis, ὑπὸ τῶν φίλων, occiſus fuiſſe, ſcribitur. Ergò non alienigena dicendus fuiſſe, videtur. Herodotus magis eam ipſam ſententiam confirmat, dum Labynitum ſuum, ad-

um, adverſus quem Cyrus exercitum duxit, Labyneti ſive Nebucadnezaris magni filium ex Nicocride natum dicit. Verùm nodum hunc Megaſthenes, in fragmento, ſuprà quoque citato, ſolvit. *Referens enim Nabuchodonoſori vaticinium, dicit, quòd Cyri (quem Mulum vocat, quia Medoperſes, vel Perſomedus erat, natus ex Aſtyagis Regis Medorum filia, Mandane, & Cambyſe milite plebeio natione Perſa) συναίτιος, ceu cauſa adjuvans, ſit futurus MEDES, Aſſyriorum fiducia. Et addit: Quod Babylonii Labaſſoaraſo occiſo, Regem creaverint Nabonnidochum, ad ſe nihil pertinentem, προσήκοντα οἱ οὐδὲν. Cui Cyrus, capta Babylone, præfecturam Carmeniæ donaverit.* His verbis Megaſthenes diſertè dicit, Nabonnidum hunc ad Babylonios ſeu Regiam Babyloniorum ſtirpem nihil pertinuiſſe. Similimam loquutionem habet Herodotus libr. 1. Cræſus inquit, quintæ ætatis crimen fuit, hoc eſt, abavi (Gygis) qui cum eſſet ſatelles Heraclydarum, mulieris dolo inductus, Dominum (Candaulem) interemit ejusque dignitate potitus eſt, nihil ad ſe pertinente, οὐδὲν οἱ προσήκουσαν. Igitur falſum eſt, quòd Herodotus eum, quem ipſe Labynitum vocat, magni Labyneti ſeu Nebucadnezaris filius fuerit. Nec tamen Megaſthenes Beroſo contrarius eſt. Licet enim Nabonnidus hic Babylone vixit, & in conſpiratione adverſus Laboroſoardochum vel Belſazarum, ſuas partes quoque egit, Babylonium tamen aut ex Babylone ortum traxiſſe, non ſequitur, quia diverſarum nationum homines, inter ſe amicitiam colere, & tertio alicui ſubeſſe, quin etiam ejus proximi & intimi à conſilijs & officijs eſſe, atque nihilominus in ipſius necem conſpirare poſſunt. Beroſi ergò verba aliud non volunt, quam Nabonnidnm ſive Darium hunc, eo ipſo tempore, quo adverſus Belſazarum aulici & ſatrapæ ejus inſurrexerunt, in Babylone vixiſſe, & unum, nec poſtremum ex eorum numero fuiſſe. At quoniam extraneus erat, ideo unde oriundus fuerit, expreſsè indicat, dum Meden dicit. Ex Medorum igitur ampliſſima & potentiſſima Regum familia Nabonnidochum ſive Nabonnidum ex Megaſthene æquè ac Darium ex Daniele conſtat. Aliud tamen hîc, dum Nabonnidum Medum probavimus, occurrit, dum nimirum Megaſthenes, hunc Meden vocat Muli ſive Cyri Perſomedi συναίτιον, qua voce quidam ex συμμάχοις belliq́ue ſocijs vel conſiliarijs Cyri, qui fuit natione Medus, intelligi poſſe videtur: quales fuerunt hi Tres.

Verba Megaſthenis.

1. Harpagus Medus, qui Cyrum primò ad bellum avo ſuo Aſtyagi inferendum impulit & adjuvit, quique Inferiorem Aſiam ſubegit, & quem Cyrus Lydis, Mezare, & ipſo Medo, mortuo, præfecit. Herodotus libr. 1.

2. Cyaxares, Cyri avunculus, Aſtyagis Medorum Regis, materni avi Cyri, filius, cum quo plerique Chronologi cenſent, Regnum eſſe partitum, eumque illum Danielis Darium putant. Certè, quòd Cyrus eum maximi fecerit, & verè filiali pietate coluerit, Xenophon in pædia hujus Cyri plurimis locis refert.

3. Sybaris, quem Cyrus, ex nocturnæ viſionis monitione omnium ſuorum captorum comitem & ſocium ſumpſit. Hic in Perſis quidem genitus fuerat, ſed in ergaſtulo cujuſdam Medi, ſervus. Cyrus autem ipſum inde liberatum, pòſt, Perſis præpoſuit, ſuamque ſororem uxorem ei dedit. Juſtinus libr. 1. At quòd Megaſthenes de nullo horum loquatur, palàm ediſſerit, dum Meden illum vocat τὸ ἀσσύριον αὔχημα, Aſſyriorum ſpem, fiduciam vel præſidium. Verùm Aſſyrij, nec in Harpago, nec in Cyaxare, nec Sybare, ullam libertatis ſpem collocaverunt, erant enim ipſorum hoſtes. Sed illum Nabonnedum ipſi, deficiente Nebucadnezaris ſtirpe & familia, ſibi ipſis Regem præfecerunt, ut ſub ejus protectione, ab omni incurſu hoſtium immunes eſſent. Videntur autem Aſſyrij hunc, licet alienum, alijs prætuliſſe, quia ſtirpe Regiâ ſublatâ, hîc cum ipſis degebat, ut quaſi domeſticus videretur, ætate quoque, & propterea rerum uſu cæteris præcellebat, (erat enim annorum 62. Daniel. 5.) ſimulque præclarâ Regiâ proſapiâ, Medorum ſcil. progenitus. Verùm quomodo hoc αὔχημα ceſſerit, Beroſus non reticet. Initio quidem rebus tranquillis munere Regio non abſque laude perfunctum, teſtantur mœnia Babyloniorum munitiora & ſplendidiora effecta. Item, advenienti Cyro ex Perſide, hic Nabonnidus initio ſe fortiter oppoſuit: At ſemel victus, non modò ut vires reſtauraret, & bellum repararet, operam non dedit, ſed & ſtatione ſua, & urbe deſerta, non ſine infamia (forſan ſenectuti ſuæ potiùs conſulere volens, quàm civium ſaluti, erat enim tùm annorum 79.) fugit, ſeque in tutiorem, quo, ſalvaretur, locum recepit, cumque obſidionem tollerare diffideret, ſupplex Cyro factus, ſeſe in perſequentis victoris manus dedidit. Cùm tamen extrema quæque prius tentanda fuiſſent, quàm turpiter fugeret, & totam urbem omni præſidio deſtitutam perfidè dereſeret, hoſtique proditam ad diripiendum relinqueret, ipſe verò tandem, re omni deſperata nimis puſillanimis, vitam, ignava ſui ipſius in arbitrium victoris deditione, redimeret. Hæc ſunt, quæ vocula συναίτιος ſubinnuit: συμμάχους verò Beroſus ſeorſim nominat, eosque ab hac concauſa ſeu adjuvante diſtinguit, eos dicit eſſe Babyloniorum Deos, vel ſicut nos ex vera noſtra Theologia dicere didicimus DEUM, Optimum Maximum, qui ſe per ſuos Prophetas Davidem, Iſaiam,

Iere-

Ieremiam, Babylonios jam olim prædixerat viſitaturum eſſe. Quibus accedunt Cyaxares, Harpagus, Sybaris, totusque exercitus. Sed concauſa vel adjuvans fuit hic Darius ſeu Nabonnidus, qui ubi in primo conflictu ſuccubuit, totam urbem, cum omnibus ſuis ſubditis, de ſua vita ſolicitus, perfidè deſeruit. Quoniam ergò univerſa, quæ Daniel de ſuo Dario ſcribit, æquè etiam Nabonnedo competant, & è contrà: abſque omni dubitatione ſimpliciter concludimus, Nabonnedum Beroſi & Megaſthenis, eſſe Darium Medum Danielis.

Hinc jam de certa ſerie Regum Babyloniorum, ſub quibus Judæi captivi detenti fuerant, usque ad Liberatorem eorum Cyrum conſtat, ſimulque, quo anno ante Chriſtum, vel cujus olympiadis, quisque eorum regnare ceperit aut deſierit. 6. Tabella tā Babyl. quam Perſicorum Regum.

Quæ, tanquam Enchiridio quodam includunt binæ ſequentes Tabulæ, graphicè Lectori dictam ſeriem depingentes.

## *Reges Babyloniorum à Nabuchodonoſoro primo, ad Cyrum Regem Perſarum.*

| | | Cepit regnare Circa initium Anni | Olymp. | Anno ante Chriſtum | Regnavit Annos. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 Nebucadnezar primus, qui etiam dicitur<br>Nabuchodonoſorus<br>Nabollaſarus<br>Nabopa laſarus | | vel 3<br>vel 3 | 31<br>33 | vel 653$\frac{1}{2}$<br>vel 645$\frac{1}{2}$ | vel 29<br>vel 21 |
| 2 Nebucadnezar M qui etiam<br>Nebucadrezar<br>Nabuchodonoſorus<br>Nabocodroſorus<br>Nabucodroſorus<br>Labynitus<br>Nabopollaſarus | (Hic fuit Nebucadnezari I. filius, hujus anno 19. cæpit captivitas Babylonica. Ergò captivitatis Babylonicæ initium fuit.) | 4<br>2 | 38<br>43 | 624$\frac{1}{2}$<br>606$\frac{1}{2}$ | 43<br>Duravit annos 70 |
| 3 Evilmerodach, qui etiam<br>Evilmaraduchus<br>Evilmaluruchus<br>Evilmaduruchus | (Filius Nebucadnezari Magni.) | 3 | 49 | 581$\frac{1}{2}$ | 2 |
| 4 Nerigliſſoroor9, qui etiã<br>Neriglíſares<br>Nerigliſſares | (Nebucadnezari M gener, & Evilmerodachi ſororius. Regnavit cum filio pupillo annos 4) | 1 | 50 | 579$\frac{1}{2}$ | 4 |
| 5 Laboroſoarchodus, qui etiam<br>Chabæſſoarâchus<br>Laboſſoaraſcus<br>Belſazer vel<br>Balthaſar | (Nebucadnezari Magni, ex filia nepos, Nerigliſſaris filio regnavit cum patre, ſub tutela, annos 4. & poſt ſolus ferè annum.) | 1 | 51 | 575$\frac{1}{2}$ | Novem menſes, hoc eſt, Annum unũ ferè. |
| 6 Nabonnedus, qui etiam<br>Nabonnidus<br>Nabonnidochus<br>Labynitus<br>Darius Medus filius<br>Ahaſueros de ſemine Medorũ | (Huic de ſemine Medorum, atque ſic ad Babyloniorum Regum proſapiam non pertinenti, delatum fuit Babyloniorum Regnum.) | 2 | 51 | 574$\frac{1}{2}$ | 17 |
| 7 Cyrus regnare cepit in Perſia<br>cepit Babylonem, expulit Darium, & Monarchiã Babylonicam transtulit ad Perſas.<br>Solvit captivitatem Babylonicam Iſraëlitarum & reditum in terram patriam permiſit cum annis Babilonijs imperaverat. | | 1<br>3<br>4 | 55<br>55<br>60 | 559$\frac{1}{2}$<br>557$\frac{1}{2}$<br>536$\frac{1}{2}$ | Regnavit in univerſum annos 30. |

## *Reges Perſarum à Cyro ad Darium Ultimum, vel ad Alexandrum Magnum.*

| | Cepit regnare: Circa initiū anni | Olymp | Anno ante Chriſtū | Regnavit |
|---|---|---|---|---|
| I. Cyrus cepit regnare in Perſia<br>1) | 1 | 55 | $559\frac{1}{2}$ | 30 |
| II. Cambyſes Cyri Filius.<br>2.) Poſt Cambyſen imperavit Smerdes Magus, cujus Regni tempus potiùs pro Interregno habetur. | 3 | 62 | $529\frac{1}{2}$ | 7. annos 5. menſes<br>7. menſes |
| III. Darius Hyſtaſpis Filius.<br>3.) | 3 | 64 | $521\frac{1}{2}$ | 36 |
| IV. Xerxes (Terror Græciæ) Darij illius Filius, Artabanus<br>4.) Xerxis Præfectus, poſtquam eum occiderat, regnavit, ſed ejus Regnum etiam pro Inter-<br>5.) regno habetur | 3 | 73 | $485\frac{1}{2}$ | 20. & aliquot mẽſ<br>7. menſes |
| V. Artaxerxes Longimanus Xerxis Filius.<br>6.) | 4 | 78 | $464\frac{1}{2}$ | 40 |
| 7.) Xerxes II. & poſt eum Ogdianus vel Sogdianus<br>8.) quaſi iu Interregno regnarunt. | 4 | 88 | $424\frac{1}{2}$ | 2 |
| VI. Darius Nothus.<br>9.) | 2 | 89 | $422\frac{1}{2}$ | 19 |
| VII. Artaxerzes Mnemon (Memor) Darij Filius.<br>10.) | 1 | 94 | $403\frac{1}{2}$ | 42 |
| VIII. Artaxerxes Ochus Mnemonis Filius.<br>11.) | 3 | 104 | $361\frac{1}{2}$ | 23 |
| IX. Arſes vel Arſanes Ochi Filius.<br>12.) | 2 | 110 | $338\frac{1}{2}$ | 3 |
| X. Darius Vltimus, dictus Codomannus Arſis Filius. circa<br>13. hoc idem tempus Alexander Magnus patri Philippo mortuo, in Græcia ſucceſſit. | 1 | 111 | $335\frac{1}{2}$ | 6<br>12 |
| Darium Alexander Magnus debellavit, & Monarchiam Perſicam ad Græcos tranſtulit. | 3 | 112 | $329\frac{1}{2}$ | |
| Alexander Magnus mortuus eſt. | 1 | 114 | $323\frac{1}{2}$ | |

7 Babylonii fuit
1. Nebucadnezar I.

Ante captivitatem illam ſeptuagenariam, imperavit Nebucadnezar primus, qui etiam Nabuchodonoſorus, Nabollaſſarus, Nabopollaſſarus, apud Hiſtoricos nominatur: Hic regnavit annos vel 21. vel 29. Demonſtravimus autem ſuprà quæſtione prima, primum annum Nabollaſari, qui eſt Nebucadnezar Magnus, hujus primi filius, ponendum circa initium anni quarti, Olympiadis 38. qui eſt annus 625. ante Chriſtum. Igitur primus annus hujus Nebucadnezaris primi, ſi 21. annos regno præfuit, incipit circa initium anni tertij, Olympiad. 33. qui eſt annus 646. ante Chriſtum, ſed ſi imperium ejus completum fuit, annis 29. initium eorum cadet ad initium anni tertij, Olymp. 31. qui eſt annus 654. ante Chriſtum. Quoniam de fine Imperij hujus Regis, ſive de initio ſequentis, ex Ptolemæo conſtat: de ejus principio, num 21. an 29. annis præcedat, hîc non adeò ſolliciti ſumus, quia noſtro præſenti ſcopo nihil incommodat. Sed in ſequentibus, quemadmodum ex ijs, quæ huc uſque ſedulò inquiſivimus, & etiam ex ijs, quæ ſequuntur, videre eſt, major diligentia & exquiſitior calculus poſtulatur.

2. Nebucadnezar II. fil.

2. Huic Nabuchodonoſoro primo ſucceſſit filius Nebucadnezar Magnus, qui etiam Nabuchodonoſorus vel Nabucodroſorus, Herodoto Labynitus, Ptolemæo Nabopollaſarus dicitur. Hîc imperavit 43. annos. Cùmque ceperit imperare circa initium anni quarti, Olympiad. 38. qui eſt annus ante Chriſtum 625. ſequitur ejus ultimum annum finiri cum anno ſecundo, Olymp. 49. qui eſt annus 582. ante Chriſtum.

3. Evilmerodach Filius.

3. Poſt Nebucadnezarem Magnum imperavit Evilmerodach, ejus filius, qui & Evilmaraduchus, Evilmaluruchus, Evilmaduruchus, biennium, nimirum per annum tertium & quartum, Olymp. 49. hoc eſt, cepit, ſemeſtri anni 582. ante Chriſtum, propemodum completo, occiſus eſt à ſororio ſuo Niriglifſare, circa medietatem anni 580. ante Chriſtum,

4. Nerigliſſoroorus gener Nebuc. II.

4. Hoc necato, ſororius ejus Interfector, Nerigliſſoroorus, vel Nerigliſares, aut Nerigliſſares dictus, unà cum filio pupillo, naturali tamen & legitimo Regni Hærede Laboroſoarchodo, ceu tutor & adminiſtrator, regnavit annos quatuor. Hujus Regni ſeu adminiſtrationis initium incipit circa principium primi anni Olympiad 50. circa medietatem anni 580. ante Chriſtum, finitur circa finem anni quarti, ejuſdem Olympiad. circa medium anni 576. ante Chriſtum.

5. Laboroſoarchodus Nepos.

5. Hinc filius hic Laboroſoarchodus, Nebucadnezaris ex filia nepos, poſtquam ſub patris cura, vel cum patre Imperio præfuiſſet quatuor annos: poſt ejus mortem imperavit adhuc novem menſes, ſeu tres anni quadrantes, hoc eſt, ſuperfuit patri per annum primum Olympiad. 51.

Sumi-

Sumimus autem hîc novem menſes pro integro anno, parum enim deeſt, id autem licere quiſque videt, cùm reliquorum Regum anni non adeò præcisè per menſes definiantur. Nam dubium non eſt, quorundam ipſorum Imperia numerum annorum in nonnullis menſibus vel excedere, vel ab eis deficere. Hic etiam appellatur Chaboeſſæarâchus, & Labaſſoaraſcus. Et hic ipſe eſt Belſazer, vel Balthaſar Danielis, atque in hoc poſteritas Nebucadnezaris defecit. Occiſus autem eſt ab amicis fuſtibus, τυμπανίζεται, aut piſtillis, tanquam in mortario contunderetur.

6. Quo Cæſo, Regnum communibus ſuffragijs traditum fuit Nabonnedo, vel Nabonnido, aut Nabonnidocho, qui etiam Labynitus vocatur, ex terra Medorum orto. Hic eſt Darius Medus, filius Ahaſueros, de ſemine Medorum, apud Danielem. Hic præfuit Imperio annos 17. à ſecundo anno Olymp. 51. incluſivè, uſque ad annum tertium, Olympiad. 55. excluſivè, hoc eſt, à medietate, circiter anni 575. ad medietatem, circiter, anni 558. ante Chriſtum. 6. Darius Medus, ſive Nabonnedus vict9 à Cyro

7. Contra hunc Nabonnedum, vel Darium Medum, Cyrus Rex Perſarum bellum movit, eumque, cùm initio ſatis animosè occurreret, vicit, quo fugiente, Cyrus Babylonem cepit, ipſum verò loco munitiore ſeſe occultantem obſedit, at cum victori ſe traderet, clementer tractavit. Nam urbe quidem eum relegavit, attamen Carmænienſi præfecturæ præpoſuit. Cyrus verò poſt Babylonem captam, aliasque terras ſubjugatas, Iudæis quoque captivis reditum in terram patriam benigniſſimè, non tantum conceſſit, ſed etiam ſumptus ad reædificandum templum Ieroſolymitanum largitus eſt, &c.

Hi itaque ſunt Reges, ſub quibus Iudæi durante captivitate Babylonica vixerunt.

Porrò per hunc Cyrum Regnum & Monarchia Aſſyriorum ad Perſas tranſlata fuit, ut qui prius Reges Aſſyriorum, vel Babyloniæ dicebantur, pòſt nominarentur, & eſſent Reges Perſarum.

## III. QUÆSTIO.

### *De Regibus Perſarum, qui, & quo ordine ac tempore à Cyro usque ad Alexandrum Magnum, qui Monarchiam Perſarum*

*deſtru-*

*deſtruxit, & ad Græcos transtulit, regnaverint.*

Succeſſio Regũ Perſicorũ.

DAniel cap. 5. Belſazari, vel Laboroſoarchodo, ex Scriptura, quæ in pariete ſcripta apparuit, prædicit: *Regnum tuum, inquit, eſt diviſum, & datum Medis & Perſis.* Iſtius impletionem mox ſequutam, Daniel egregiè deſcribit. Nam Rex occiſus fuit, fuſtibus ſcilicet, aut piſtillis, veluti canis rabioſus, quemadmodum ſuprà diximus, contuſus, ipſa nocte, ſive de nocte, bey Nacht. (procul dubio non mox ea ipſa nocte, ſed aliquanto intervallo temporis poſt, ne ad pænitentiam & reſipiſcentiam tempore excluderetur: & id volunt, verba ibidem poſita. Nam Rege pænitentiam ſimulante, Daniel purpura indutus fuit, & torques aurea collo ejus circumdata, atque quod poteſtatem haberet, tertius in Regno Chaldæorum, de ipſo prædicatum. Et hæc procul dubio, non ea ipſa nocte, nec tantum in aula Regia, ſed ſequentibus diebus per totum Regnum, vel ad minimum per aliquam Regni partem, fuerunt prædicata, quæ una nocte fieri non potuerunt.) Et Regnum fuit translatum ad Darium Medum. Idcircò etſi Regnum ejusque adminiſtratio Babylonijs non eſſet omninò adempta, unde hic Darius vel Nabonnidus Aſſyriorum ἄσχημα fuit: Is tamen in Regno authoritate & legibus non tantùm Aſſyriorum, ſed etiam Medorum & Perſarum eſt uſus, quemadmodùm ex Dan. 6. v. 8. 12. 15. conſtat. Poſtquam autem Cyrus, qui Perſa fuit, non tantum Medos, quibus antea Perſæ paruerant, (unde quoties apud Danielem, Medorum & Perſarum nomina conjunguntur, vox Medorum præponitur) Imperio Perſarum ſubjecit, ſed etiam Babylonios, jam quaſi Medos factos, ſubegit: ibi tum Aſſyriorum & Medorum nomine abolitò, ſub Perſarum Regum Imperio omnia fiebant. Hinc ſequentibus Regibus in libro Eſdræ & Nehemiæ, titulus Regum Perſarum attribuitur.

pag. 22.

Sed videamus hos Reges Perſarum, à Cyro ad Alexandrum Magnum Regem Macedoniæ, qui Regiam Perſarum dignitatem, ſuperato Dario Codomanno, ad Græcos transtulit.

1. Cyrus

I. Primus Perſarum Rex eſt Cyrus. Ante eum Perſæ Medis fuerunt ſubditi, ideoque ne Regia Medorum majeſtas à Medis auferretur, Aſtyages Rex oraculum, ex quo per nocturnas viſiones acceperat, nepotem ex filia ſua, Dominum totius Aſiæ futurum (de quo ſuæ poſteritati magis gratulari debebat) impedire volens, filiam ſuam Mandanen, viro mau-

maturam, nulli Medorum, ut Herodotus ait, cui Juſtinus concordat, qui eâ dignus eſſet, aut claro viro, ſed Cambyſi cuidam Perſæ, familia quidem bona, obſcura tamen gente, orto, & ingenio ſedato, ſeque multò infra mediocris alicujus Medi conditionem gerenti, in matrimonium tradidit: præterea filium ex ea natum, hunc Cyrum, exponi & necari juſſit. Verùm is mirabiliter ſervatus, quemadmodum Juſtinus & Herodotus tradunt, tandem ætatis anno 40. Cicerone libr. 1. Divinat. teſte Aſtyagem, maternum avum ſuum Regno Medorum exuit, & Medos Perſis ſubjecit. Hujus Regni Cyri initium, quo Medorum dominantium Imperium ad Perſas ante ſervientes, tranſtulit, Euſebius in Chronicis & libr. 8. cap. 5 Demonſtr. Evangel. reponit in initium Olymp. 55. ineuntis, hoc eſt, circa medium anni 560. ante Chriſtum. Idem facit libr. 10. cap. 3. præparat. Evang. ibique allegat conſenſum plurium aliorum hiſtoricorum, Diodori Siculi, Thalli, Caſtoris, Polybij, Plegantis. Itaque hoc eſt verum initium Regni Cyri. Regnavit autem, ut Herodotus habet, annos 29. Sed ut Cteſias, Juſtinus ex Trogo, & Euſebius referunt, annos 30. Cicero loco allegato totidem ei tribuit, & addit, eum annos quadraginta natum, imperare cepiſſe, vixit autem annos 70. & totidem anni ab initio primi anni Olymp. 55. ad initium tertij anni, Olymp. 62. quo Cambyſes ſucceſſit, ſicut ſuprà quæſtione prima diximus, & mox dicemus, numerantur.

*Cedrenus (pag. 98. 117) habet annos 32. pag. 118. annos 31.*

Obſervandum autem hîc eſt, quod tàm apud Hiſtoricos, quàm etiam in ſacra Scriptura, duplex initium annorum Cyri invenitur, quidam etjam tertium addunt. Primum à primo Regni ejus initio deducitur, quo, victo Aſtyage, Regnum Medorum ad Perſas tranſtulit. Et ab hoc initio finitur Regnum ejus annis 30. Ab hoc eodem initio Daniel capite 10. numerat ejus annum tertium, ſicut infrà quæſtione ſeptima videbimus. Alterum eſt, quo Judæis ex Babylone reditum in terram patriam conceſſit. Hoc enim initium, atque hunc primum, laxatæ captivitatis annum, ſacra Scriptura 2. Paralip. ult. & pluribus locis in Eſdra, nominat primum annum Cyri. Et de hoc principio loquitur procul dubio Daniel cap. 1. verſ. ult. Aliqui item Regnum ſeu Monarchiam Cyri, à capta Babylone inchoandam volunt. Victa enim Babylone omne demum, non tantum Babyloniorum, ſed & Medorum, qui & ipſi tum, ut paulò antè dictum, Babylonijs dominabantur, Imperium, ad ſolum Cyrum fuit delatum: ſed hoc initium annorum Cyri, quia ad noſtrum propoſitum nihil facit, nos omittimus.

*Cujus Regni duplex initium.*

2. Rex Perſarum fuit Cambyſes, Cyri filius. Is, quod ex obſervatione Aſtronomica, quæ eſt apud Ptolemæum, libr. 5. cap. 14. Almagesti, de qua ſuprà, demonſtratur, cepit regnare anno 219. Nabonnaſſari,

*2. Cambyſes*

*fol. 4.*

cujus initium, in menſibus Ægyptiorum, incidit in initium anni 529. ante Chriſtum. Quoniam autem principia annorum Regum Aſſyriorum & Perſarum uſitata, numeranda ſtatuimus à medietate anni Juliani circa initia annorum Olympicorum, de qua re ſuprà, cadet Cambyſis initium
fol.33. in medium anni 530. ante Chriſtum, circa initium anni tertij Olymp. 62. Quare autem hìc ad Æſtatem anni præcedentis recurramus, cùm ſuprà in Nebucadnezare, quem Ptolemæus Nabopollaſarum vocat, ubi initium anni Ægyptiaci, quo Ptolemæus utitur propè, ſimiliter ſicut hìc æquo intervallo à præcedente & ſequente Æſtate diſtabat, ſumpſerimus Æſtatem ſequentem, ratio manifeſta eſt. Illìc annus 18. Nebucadnezari neceſſariò cadere debuit in annum Jubilæum: Hìc autem ſi ab Æſtate ſequente initium Cambyſis ſumeremus, extenderentur anni Cyri à primo anno Olympiad. 55. in annos 31. quem numerum majorem juſto, ex eo colligimus, quod Herodotus non modò non 31. ſed tantum 29. numerat. Utrique autem tàm illi, quàm huic ſcopulò conſulitur, ſi in hunc modum annos diſtribuamus. Hic Cambyſes regnavit annos ſeptem, menſes quinque. Herodot. libr. 3.

Poſt Cambyſen Smerdes Magus, qui ſe Smerdem Cyri filium mentitus eſt, imperavit ſeptem menſes, Herodot. libr. 3. quot ſcil. menſes, ad complendum annum octavum Cambyſis, fuerant reliqui. Unde hujus Smerdis tempus, pro Interregno potiùs habetur. In Cambyſe verò, qui abſque filijs deceſſit, defecit Cyri poſteritas.

3. Darius Hyſtaſpis Filius 3. Cambyſe in Ægypto defunctò, & Smerde Mago occiſo, uni ex Interfectoribus, Dario Hyſtaſpis filio, Regnum fuit traditum. Hujus primum annum Ptolemæus, ſicut ex obſervationibus Aſtronomicis, libr.
fol.4. 4. cap. 9. (de quibus etiam ſuprà) conſtat, connectit cum anno 227. Nabonaſſari, cujus initium cadit in Calend. Januar. anni 521. ante Chriſtum numerando ſecundum Ægyptios, ſed more Perſico, initium pertinet ad Æſtatem præcedentem anni 522. ante Chriſtum, videlicet ad initium anni tertij, Olymp. 64. regnavit annos 36. Herodot. libr. 7.

4. Xerxes. 4. Xerxes (terror Græciæ) Darij Hiſtaſpis filius, cepit regnare patre mortuo, anno tertio, Olymp. 73. circa medietatem anni 486. ante Chriſtum. Hic anno ſexto, propè completo, tempore Veris, paulò ante initium anni primi, Olymp. 75. anno ante Chriſtum 480. trajecit Helleſpontum, & invaſit Græciam, ex qua circa Autumnum turpiter fugit, &c. Mortem Darij, & initium Regni Xerxis, rectè ad principium anni tertij, Olymp. 73. poni, ſic probatur. Herodot libr. 7. refert: quòd Xerxes altero anno, poſt mortem Darij, Ægyptios, qui defecerant, ſubegerit, deinde à debellata Ægypto, per totum quadriennium præparaverit ſe ad expeditio-

ditionem adverſus Græciam, atque anno quinto, (hoc eſt, poſt annos Regni 6. ferè completos) eam ſuſceperit, trajecit autem Helleſpontum paulò ante finem anni quarti, Olymp. 74. Regnavit annos ſuprà 20. (hoc eſt, 21.) Diodor. Sicul. libr. 11. occiſus eſt ab Artabano præfecto ſuo.

Hic Artabanus poſt Xerxen trucidatum, regnavit ſeptem menſes. Regnum autem ejus pro Interregno habetur, propter quod Euſebius in Chronicis, & alij annumerant 21. annos Regni Xerxis, idque extendunt usque ad quartum annum, Olympiad. 78. hoc eſt, ad Æſtatem anni 465. ante Chriſtum. Verùm (ut ex dictis patet) rectè numerantur anni $21\frac{1}{2}$. usque ad medium anni quarti, Olymp. 78. ſive ad finem anni 464. & initium anni 463 ante Chriſtum.

Et hi ſunt illi quatuor Reges, de quibus Daniel Propheta, cap. 11. *Ecce adhuc ſtabant tres Reges in Perſide, & quartus ditabitur opibus magnis, præ omnibus, cumque prævaluerit opibus ſuis, excitabit omnes contra Regnum Græciæ, &c.* Et mox: *Stabit autem Rex fortis, & cum ſteterit, conteretur Regnum ejus, ut dividatur in quatuor ventos cæli, &c.* Ex quibus verbis nemo non videt, quartum illum Regem eſſe Xerxen, quem verò ſubjungit, eſſe Alexandrum Magnum. Ergò Propheta per ſaltum omnes cæteros Reges (eos etiam, qui templi ſtructuram promoverunt, ſicut dicemus) tranſilit. De hoc autem & ſimili ſaltu habuimus ſuprà. Unde videmus, Prophetias non ſemper ſecundum verba, ſicut ſonare videntur, ſed juxta eventum explicandas eſſe, hic enim eſt earum optimus & veriſſimus interpres. fol. 15.

5. Artaxerxes, Longimanus dictus, Xerxis filius. Hujus initium ſanè nullo certo charactere, ſicut Cyri, Cambyſis, & Darij, initia, notatum invenitur. Attamen quia hiſtorici, quamdiu regnaverit, & quando mortuus ſit, diligenter prodiderunt, ideoque à poſteriori etiam primus ejus annus elicitur, atque inde ultimus annus Xerxis præcedentis, cum Interregno Artabani confirmatur. Diodorus Siculus libr. 1. pag. 261. & libr. 12. pag. 303. mortuum ſcribit, anno quarto, Olymp. 88. cùm regnaſſet annos 40. Thucidides libr. 4. dicit: eum obijſſe tempore Hyberno, circa finem anni ſeptimi, belli Peloponneſiaci, hoc eſt, circa finem anni 425. vel paulò poſt initium anni 424. ante Chriſtum. Ergò cepit regnare (ſi præciſè 40 annos regnavit) anno quarto, Olympiad. 78. circa finem anni 465. aut initium 464. ante Chriſtum. 5. Artaxerxes

Aliud initium Regni Artaxerxis, Thucidides libr. 1. notare videtur. Refert enim quod Themiſtocles fuga elapſus ad Regem Artaxerxen, Xerxis filium, nuper regnare incipientem profugerit. Ei autem profugo, Pericles mox ſucceſſiſſe, Thucidides & Diodorus narrant. Is

verò gubernationem Athenarum tenuit annos 40. & anno ſecundo cum ſemeſtri belli Peloponneſiaci, hoc eſt, anno tertio incipiente Olymp. 87. mortuus eſt. Gubernationem ergò Reipub. Athenienſium in ſe recepit anno tertio, Olymp 77. quo ſcil. anno, Themiſtocles proditionis falsò accuſatus, ad Artaxerxen nuper regnare incipientem profugit. Igitur Artaxerxes paulò ſive pauculis annis uno nimirum vel duobus antè, vivo adhuc Xerxe patre (forſan Regni conſors aſſumptus) regnare cepit. At cæteri Hiſtorici, illo tempore, quo cum patre regnavit, neglecto, à morte Xerxis patris, Imperium filii computant.

Artaxerxi ſucceſſit Xerxes ſecundus, unum annum, eoque finito mortuus eſt. Diodor. libr. 12. pag. 303. & 307. Ibi tamen non diſſimulat, quòd quidam ejus regno tantum duos menſes attribuant, neç plures ei Euſebius aſſignat. Diodori verò numerus unius anni (plus minus) magis probatur, quia Synchroniſmo melius correſpondet.

Poſt hunc regnavit Ogdianus vel Sogdianus, menſes ſeptem, Diodor. ibid. pag. 307. & Euſebius.

Horum duorum Regum tempus, quod eſt annus unus, & paulò plus ſemeſtri; apud nonnullos hiſtoricos pro Interregno habetur, & annis Darij ſequentis adjicitur. Nos verò propter hiſtoriam Sacram hoc tempus cum Darij ſequentis Imperio, nequaquam confundendum, ſed ſeparandum ſtatuimus, ſicut mox cernetur. Finitur ergò Imperium Ogdiani in ſecundo anno, Olympiad. 89. circa vel poſt Autumnum anni 423. ante Chriſtum. Id rectè à nobis poni, proximè ſeq. Tab. *⁎* notata monſtrat.

**6. Darius Nothus.**

6. Rex ſextus ordinarius eſt Darius Nothus. Hujus Regni annos neceſſitas poſtulat, ut diligenter præ alijs inquiramus. Thucidides ſanè libr. 8. annum hujus Darij tredecimum connectit cum 20. anno belli Peloponneſiaci. Ergò primus hujus Darij annus fuiſſet belli octavus, proximus ſcil. poſt Artaxerxis mortem. Verùm hac computatione Thucidides præterit Xerxen ſecundum & Ogdianum, eorumque gubernationis tempus Dario, ut modò dictum, annumerat, quos tamen inter ſe diſtinguendos dicimus. Hujus verò Darij initium ex annis Regni atque termino vitæ certò cognoſcemus. Obijt autem Darius finito bello Peloponneſiaco. Sic enim Juſtinus libr. 5. inſignis inquit, fuit hic (ultimus belli Peloponneſiaci) annus, & expugnatione Athenarum, & morte Darij Regis Perſarum, & exilio Dioniſij Siciliæ Tyranni (quanquam hoc poſteriori Juſtinus errat, tum enim non Junior Dionyſius exulare cepit, ſed Dionyſius major ab Aphrica pulſus, poſt Tyrannidem multò arctius confirmavit.) Et Diodor. Sicul. libr. 13. Pax (ab Athenienſibus cum Lacedemonijs) ſub conditionibus eſt impetrata, poſtquàm annis 27. perpetuis fuit

fuit decertatum. Nec diu poſt eam pacem compoſitam Darius Rex Aſiæ cùm regnaſſet annos 19. (ſic in Græco legitur) mortuus eſt, cui ſucceſſit Artaxerxes ejus filius, &c. Bellum autem illud finitum eſſe paulò ante initium Olymp. 94. ex Xenophontis libr. 2. rerum Græcarum conſtat, nam eo anno poſt finitam Hyemem (intra annum quartum Olympiad. 93. in anno 404. ante Chriſtum, non tantum plurium dierum, ſed etiam quarti menſis, illas latas pacis conditiones præcedentis, fit mentio. Unde colligitur, quod Darius non ad principium primi anni Olymp. 94. ſed aliquantum poſt, puta uno atque altero menſe obierit, hoc eſt, non circa Julij initium, vel in Auguſto, vel Septembri noſtro anni 404. labentis, ante Chriſtum. Et ab hac ſententia aliena non ſunt verba Juſtini, ad finem libr. 5. Ubi poſtquam de innovato Reipub. Athenienſium ſtatu, dixerat, quæ mutatio partim poſteriori anni parte à Julio ad Decembrem, partim etiam ſequenti anno contigit, addit: Eodem ferè tempore Darius Rex Perſarum moritur. Hinc ergò initium Regni Darij habebitur. Regnavit enim Darius Diodor. libr. 12. pag. 307. & libr. 13. pag. 381. teſtante annos 19. Totidem etiam Euſebius numerat. Horum enim annorum initium recidit in menſem ſecundū, vel tertium anni ſecundi Olymp. 89. hoc eſt, in Auguſto, vel Septembri, (vel forſan etiam in aliquem menſem poſteriorem, ſi ſcil. quod crebrò uſu venit, hi 19. anni præcisè completi non fuerunt) anni 423. labentis ante Chriſtum. Hinc etiam quanto tempore Xerxes II & Ogdianus regnaverint, patet. Nam à morte Artaxerxis ad mortē Darij hujus, hoc eſt, ab anno ſeptimo belli Peloponneſiaci finito, ad tres quadrantes unius anni (vel paulò plus) poſt 27. ejus belli annos, ſunt anni 20¾.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 89 | | | | * * * |
| 1 | | | 423 | 3657 |
| 2 | 1 | | 22 | 58 |
| 3 | 2 | | 21 | 3659 |
| 4 | 3 | | 420 | 3660 |
| 90 | | | | |
| 1 | 4 | | 419 | 61 |
| 2 | 5 | | 18 | 61 |
| 3 | 6 | | 17 | 63 |
| 4 | | | 416 | 64 |

ex qui-

ex quibus ſublatis, 19 annis Darij, relinquitur tempus Xerxis II. & Ogdiani (qui ſed interregni nomen habet) anni unius cum Dodrante ferè. Cumque Ogdiano debeantur ſeptem menſes, reſidui manent Xerxi non duo tantùm menſes, ſed annus integer, & aliquid, duo videlicet ad minimum menſes, amplius.

7 Artaxerxes Memor

*7* Sicut hunc Darium Artaxerxes quidam, Longimanus nimirum anteceſſit, ita eundem alius Artaxerxes, qui Mnemon, hoc eſt, Memor, vocibatur, ejus Darij filius, ſubſequutus eſt. Duobus igitur Artaxerxis, anteceſſore uno, & ſucceſſore altero fuit ſtipatus. Hujus initium ex morte patris certum conſtat, videlicet uno vel altero menſe completo, in primo anno Olympiad. *94.* circa Autumnum anni *404.* ante Chriſtum. Hoc initium ſimiliter propter ſacras Literas certum & notum eſſe convenit. Inter hiſtoricos autem tàm hujus Regis, quàm duorum ſequentium uſque ad Darium ultimum, non omninò convenit. Verùm ſicut in præcedentibus, propter principalem noſtrum ſcopum de reſtauratione Templi & Urbis Ieroſolymorum, & in primis de ſeptuaginta hebdomadibus Danielis, de Darij Nothi initio & fine, atque hujus Artaxerxis initio plus, quàm de alijs fuimus ſoliciti, (cæterorum tamen tempora qua potuimus perfectione etiam inquiſivimus) ita de his ſequentibus non adeò curiosè ſcrutabimur, ſed quod fuerit maximè probabile ſequemur, præſertim cum non videamus, num certarum quarundam hiſtoriarum, quarum certos temporum articulos noſſe, ſingulariter interſit, determinatio ab eorum exquiſita annorum determinatione dependeat. Diodorus libr. 15. ait, eum imperaſſe 43. annis. Euſebius *40.* Plutarchus aſſignat ei *62.* annos Regni, & *94.* annos vitæ. Verùm iſtud tempus veritatem procul dubio nimium excedit. Putamus ergò eum regnaſſe annos 4*2.* Mortuus igitur fuit ad finem anni ſecundi, Olymp. 104. circa medium anni *362.* ante Chriſtum.

8 Artaxerxes Ochus.

*8.* Patri ſucceſſit Artaxerxes Ochus, filius. Hic juxta Euſebium regnavit annos *26.* nos verò ei ex authoritate Diodori tribuimus annos *23.* cepit ergò circa initium anni 3. Ol. *104.* ad medium anni *362.* ante Chriſtum. Mortuus eſt circa finem anni 1. Ol. *110.* in anno *339.* ante Chriſtum.

9 Arſes.

*9.* Poſt hunc ſequutus eſt Arſes, vel Arſanus Ochi filius, annis 4. Juxta Euſebium, ſed juxta Diodorum, libr. 17. pag. *530.* annis *3.* hoc eſt, uſque ad finem quarti anni, Olymp. *110.* in annum ante Chriſtum *336.*

10. Darius Codomannus.

*10.* Poſtremus, Perſarum Rex fuit Darius ultimus, Codomannus dictus, Arſani, Ochi Regis fratris filius. Hujus Regni certiores limites hiſtorici tradunt. Diodorus libr. *17.* refert, ipſum per ea tempora, vel non multum ante, quibus Alexander Magnus, patri Philippo mortuo ſucceſſit

ceſſit, quoque regnare cepiſſe. Factum autem eſt, id anno primo, Olympiad. 111. qui eſt annus ante Chriſtum 336. Anno autem quarto Olymp. 111 Alexander Magnus, exercitum contra eum eduxit, prælioque victum fugavit, atque matrem ejus, cum uxore & liberis cepit, ſed humaniſſimè tractavit. Inde Darius vires reparat. Interim Alexander in Ægyptum proficiſcitur, reverſus anno primo Olymp. 112. Tyrum expugnat. Terram item Judæorum tranſit. Diodorus libr. 17. Ioſephus libr. 11. antiquit. cap. ult. &c. Tandem anno ſecundo hujus 112. Olymp. anno ante Chriſtum 331. Darium debellavit, atque hoc modo Regnum & Monarchiam Perſarum deſtruxit, & ad Græcos transtulit. Quem vicit Alexander Magnus.

Hinc Alexander Magnus Dario debellato, & Babylone Urbe capta, Rex totius Aſiæ declaratus fuit. Mortuus verò eſt, circa initium anni primi, Olymp. 114. anno ante Chriſtum 324. Ptolemæus libr. 3. cap. 8. à Nabonaſaro ad mortem Alexandri Magni numerat annos 424. ſecundum Ægyptiorum calculum, horum finis incidit in annum 324. diem 12. Novembr. Verùm, uſitatum principium eſt in Æſtate præcedente.

His univerſalibus Hiſtoricis & Chronologicis quæſtionibus ſic explicatis, & tranſitu ex ſacris in prophanas hiſtorias, nec non continuo nexu & ſerie demonſtratis, jam particulares hiſtoriæ, in quibus non parum ſitum eſt, ritè & ordinè ſimiliter demonſtrari poterunt. Sequuntur ergò quædam quæſtiones Chronologicæ, de quibus, licet variæ & intricatæ extent diſputationes, judicia & opiniones, adeo ut vix duos invenias, qui per omnia inter ſe conveniant: Nos tamen ſperamus ex hactenus recenſitis quæſtionibus illas quoque planas effecturos.

## IV. Quæstio.

## *De Anno Urbis Babyloniæ à Cyro captæ.*

Dolendum eſt omnes antiquos hiſtoricos tàm fuiſſe vel ſegnes, vel parcos in hiſtoria maximè memorabili deſcribenda, nimirum Urbis ſicut opulentiſſimæ & potentiſſimæ, ita maximæ & fortiſſimæ, nec non ſplendidiſſimæ, captæ à Cyro, ignobiliori ortu oriundo, attamen potentiſſimo, atque totius Orbis Monarcha facto. Hujus, inquam, hiſtoriæ certum tempus apud nullum hiſtoricum expreſsè notatum extat. Herodotus quidem & Xenophon, multa circa eam geſta lectu jucunda recitant. Juſtinus autem, ex Trogo nimis brevis eſt, nec ullus horum de certo tempore quicquam habet. Euſebius in Chronicis capti- 1. De tempore captæ Babylonis à Cyro diſcrepantes ſunt auctorum ſententiæ.

captivitatis Hebræorum laxationem reponit mox in primum Cyri annum, qui eſt annus primus, Olympiad: 55. ſed nec ipſe de Babylone à Cyro capta aliquid addit, niſi quòd Lectori conjiciendum relinquit, eam ante Hæbræos dimiſſos fuiſſe occupatam. Verùm iſtud ipſum rei veritati contradicit. Nam Cyrus eo primo anno non adverſus Babylonios, ſed adverſus Aſtyagem avum ſuum maternum bellum movit Hunc enim primùm Regno privavit, pòſt, ut Juſtinus habet, Urbes tributarias, quæ deficere volebant, bello coërcuit. Inde his omnibus domitis, adverſus Babylonios exercitum eduxit.. Quæ omnia nequaquam unius anni labores fuerunt, multò minus autem factum eſt, ut Cyrus eodem anno omnibus Regnis devictis, & in tranquillo poſitis, dicere potuerit, quod 2. Paralip. ult. & 1. Eſdræ 1. *Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cæli, &c.* Quare nec Euſebius nobis hîc ſatisfacit. Sunt etiam ibidem alia, in quibus Euſebio nequaquam aſtipulari poſſumus, quemadmodum in ſequenti patebit. Ita Herodotus, Xenophon & Iuſtinus non pauca inter ſe pugnantia ſcribunt. Herodotus enim libr. 1. & Xenophon libr. 7. pædias Cyri referunt, quòd Cyrus Cræſum Regem Lydorum prælio fuderit, & in ſuam terram profligaverit, & Sardibus eum ceperit, totumque illud bellum finiverit, antequam Babyloniorum Urbe potiretur. Juſtinus verò id poſt Babylonem occupatam factum eſſe teſtatur. Item Herodotus Cræſum tradit bellum contra Cyrum ultrò moviſſe, eâ fiduciâ, ſe, cùm potentiam Perſicam, priusquam magna fiat oppreſſurum, tùm Aſtyagem ſibi affinitate junctum, Cyri verò avum maternum, vindicaturum, eum enim Cyrus bello invaſerat, & regno exuerat, propterea quod ab ipſo olim necandus fuerat expoſitus. Xenophon verò Cræſum non ultrò laceſſiviſſe Cyrum commemorat, ſed ut Aſſyrijs contra Cyrum auxiliares ferret manus. At Cræſum, uterque referunt, cùm malè pugnaſſet, à Cyro profligatum, atque ubi in terram ſuam refugiſſet, Sardibus in Lydia captum. Veruntamen à Cyro, tàm propter ejus prudentiam ſingularem, quàm propter admirabilem fortunam, inter amicos ſummos & conſiliarios intimos habitum fuiſſe. Addit tamen Herodotus (quod quidem Xenophon præterit) Cræſum, mandato Cyri, rogo ardenti impoſitum, ut vivus cremaretur, mirabiliter ſervatum, atque tùm in gratiam Cyri receptum eſſe. Quibus omnibus peractis, quin & poſtquàm Cyrus univerſam continentem virtute bellica ſubegit, ajunt, ipſum demum bellum Aſſyriis intuliſſe, atque Babylonem ſingulari ſtratagemate cepiſſe: Exercitus enim ejus per alveum Euphratis fluminis, ipſo flumine aliò derivato, Urbem prius ingreſſus eſt noctu, quàm quiſquam civium feſtos dies, tota Urbe tùm vino ſomnoque ſepulta, agentium perſentiſceret. Euſebius in Chronicis aſſerit,

rit, Cræſum anno Regni ſui decimo, qui eſt annus quartus, Olympiad. 56. bellum adverſus Cyrum iniviſſe. Cyrum verò anno quarto Olymp. 57. Sardeis, & anno primo Olympiad. 58. Cræſum cepiſſe, Lydorumque Regnum deſtruxiſſe. Hos annorum numeros ſi Xenophontis & Herodoti relationi applicemus, ſtatuendum foret, Babylonem poſt Olympiad. 57. captam fuiſſe, hoc eſt, ultra duodecim annos poſt initium Regni Cyri, ſed ſi cum Juſtino eos comparemus: ejus occupatio in Olymp. 57. incidet.

Etſi autem, ut paulò ante dictum eſt, non omnia, quæ apud Euſebium legimus, probare poſſumus, quia ipſum in multis tàm alijs, quàm quæ hoc ipſo loco res Judæorum concernunt, labi videmus: Sardes tamen à Cyro anno quarto Olymp. 57. captas non dubitamus. Euſebio enim Solinus Polyhiſtor conſonat, qui cap. 7. Cyrum victorem intraſſe Sardeis Oppidum Aſiæ, ubi tunc latebat Cræſus, Olymp. 58. (haud dubiè circa ejus initium, hoc eſt, anno quarto, Olympiad 57. propemodum finito, vel anno primo, Olympiad. 58. incipiente) teſtatur. Babylonem verò pluribus annis antè in poteſtatem Cyri fuiſſe redactam, ex Juſtini relatione, qua rerum illarum geſtarum ſeries, conciſâ quidem brevitate, eleganti tamen connexione, non indiſertè recitatur, facili ratiocinatione colligi poſſe judicamus. *Iuſtinus enim libr. 1. Civitates inquit, quæ Medorum tributariæ fuerant mutato Imperio, (poſt Aſtyagem Regno depoſitum, Imperioq; à Medis ad Cyrum Perſam translato) etiam conditionem ſuam mutatam arbitrantes, à Cyro defecerunt. Quæ res multorum bellorum Cyro cauſa & origo fuit. Domitis demum pleriſq;, cum adverſus Babylonios bellum gereret, Babyloniis Rex Lydorum Cræſus, cujus opes & divitiæ inſignes ea tempeſtate erant, in auxilium venit, victusque jam de ſe ſollicitus in Regnum refugit. Cyrus quoque poſt victoriam compoſitis in Babylonia rebus, bellum transfert in Lydiam. Ibi fortuna prioris prælij perculſum jam Cræſi exercitum, nullo negotio fudit. Cræſus ipſe capitur, ſed quantò bellum minoris periculi, tantò & mitior victoria fuit. Cræſo & vita & patrimonii pars, & Vrbs* Barce *conceſſa ſunt, in qua etſi non Regiam, vitam tamen proximam Majeſtati Regiæ degeret. Hæc Clementia non minus victori, quàm victo utilis fuit. Quippe ex univerſa Græcia, cognito, quod illatum Cræſo bellum eſſet, auxilia, velut ad communem extinguendum incendium confluebant. Tantus Cræſi amor apud omnes Vrbes erat, ut paſſurus Cyrus grave bellum Græciæ fuerit, ſi quid in Cræſum crudeliùs conſuluiſſet. Interjecto deinde tempore, occupato in aliis bellis Cyro, rebellavere Lydii. Quibus iterum victis, & arma, & equi adempti, juſſique cauponias, ludicras artes, & lenocinia exercere. & ſic gens induſtria quondam potens & manu ſtrenua, effœminata mollitie luxuriaq; virtutem perdidit.*

Juſtinus ergò his verbis expreſsè indicat, quòd Cyrus Lydios unà cum Craeſo eorum Rege ter prælio vicerit. Primò quidem ante captam Babylonem, tùm enim in Regni ſui principio, ſubjugatis tributariis civitatibus defectionem molientibus, Cræſum Babyloniis opem ferre volentem, cum omni ſuo exercitu profligavit. Secundò, Cyrus capta Babylone bellum in Lydiam tranſtulit, ibi verò Victoria ipſi non magno ſtetit, utpote de exercitu ob priorem acceptam cladem adhuc conſternato. Cræſum verò captum humaniſſimè tùm tractavit. Tertiò cùm Lydii (haud dubiè Rege ſuo Cræſo authore) poſt aliquod temporis intervallum rebellarent, Cyrus eos denuò debellavit. Et hac tertiâ atque ultima vice, quando Cyrus ut victor teſte Solino, circa initium quinquageſimæ octavæ Olympiadis ſive ut Euſebius vult in fine quinquageſimæ ſeptimæ Olympiadis Sardeis eſt ingreſſus, Cræſum non tantum captum eſſe, ſed etiam propter rebellionem à Cyro valdè duram ſententiam, ut videlicet vivus combureretur, accepiſſe, quo tamen crudeli ſupplicio mirabiliter fuiſſe liberatum & propter ſingularem in ipſo animadverſam prudentiam, intimis Cyri amicis annumeratum, quemadmodum Herodotus ſcribit, conſentaneum eſt. Nam priori, nihil crudele in eum ſtatuit, niſi omnem Græciam irritare maluiſſet. Hanc ergò veram rerum illarum geſtarum eſſe ſeriem, tàm ex circumſtantiis, quàm ex ipſo Juſtino colligimus. Quod autem in hac ſerie inquirenda, Juſtinum potius, quàm Herodotum & Xenophontem ſequendum ducimus, ratio in promptu eſt. Hi enim non rarò cum veritate diſcrepantia referre depræhenduntur, quod vitium à Juſtino magis alienum eſſe certum eſt. Quid de Xenophantis pædia Cyri dicemus? qui in ſua Cyri pædia novum quendam Cyrum, novamque hiſtoriam confingit, dum præcepta morum non in theſi, ſed in hypotheſi ſub perſona (cujuſdam) Cyri tradit, unde ne Cyrum ſuum ulli repræhenſioni faciat obnoxium, veritati Hiſtoriæ Cyri Perſarum Regis nimium addit, nimiumque detrahit. Ita nec culpari nos volumus, ſi etiam Herodoti hiſtoriam in annotatione horum temporum alicujus lapſus inſimulemus, quandoquidem ea, non hoc tantùm loco, ſed etiam alibi, enormiter deviare depræhenditur. Et ne quid dicamus de eo, quod Manethon Hiſtoricus Ægyptiacus, Joſepho libr. 1. contra Apionem teſte, Herodotum ignorantiæ rerum Ægyptiacarum frequenter arguit: Sufficiat iſtud monere, quod Herodotus libr. 1. Scribit: Lydos & Medos poſt conflictum, quem ſolis Eclipſis, ſubitò diem in noctem commutans, diremit, fuiſſe reconciliatos. Ibidem addit Herodotus, illam Eclipſin à Thalete Mileſio jam antè prædictam fuiſſe, Medorum autem ducem appellat Cyaxeren, Lydorum ducem

**Iuſtinus magis veriſimilia ſcribit, quam Herodotus & Xenophon.**

ducem Halyatten. Et ut firma maneret hæc animorum conjunctio Haliattem Filiam ſuam Arienam Aſtyagi Cyaxaris Filio dediſſe uxorem, quæ ei genuit Filiam Mardanen, Cyri hujus, de quo agimus matrem. Ibidem verò recitat, quod Aſtyages hic regnum Medorum ſuſceperit poſt patrem Cyaxaren defunctum, & imperaverit annos 35. priusquàm à Cyro, ſuo nepote, regno fuit exutus. Porrò Cyrus, Cicerone teſte lib. 1. de Divinatione ad Regnum, Aſtyage avo materno devicto, aſcendit, annos natus 40. At hæc quomodo cohæreant videamus. Plin. lib. 2. c. 12. cujus ſupra etiam meminimus, teſtatur eam Eclipſin accidiſſe anno 4. (ſeu potius anno 3. propè finito) Olympiadis 48. cui ipſe annum V. C. 170. annectit. Solinus Polyhiſtor in 49. Olympiadem & in annum ab Ilio capto 604. reponit. Cyrus a. quod c. præcedente diximus regnare cœpit anno 1. Olympiadis 55. h. e. poſt dictam Eclipſin uno anno ultra 6. Olympiades, quibus conficiuntur 25. anni. Quomodo ergò Aſtyages, qui Patri (forſan non mox poſt illam Eclipſin mortuo, ſed aliquot annos adhuc ſuperſtiti) ſucceſſit, Regno Medorum dominatus eſt 35. annos? Item, ſi ponamus Aſtyagi Cyaxaris Filio, ex Ariena Halyattes Filia mox proximo poſt dictam Eclipſin anno, natam eſſe Mandanen Filiam, hanc Mandanen autem anno ætatis 15. (minor enim eſſe non non potuit) peperiſſe Cambyſi Perſæ ſuo marito hunc Cyrum, ſequitur omninò Cyrus non ante annum 16. h. e. ad minimum 16. annis poſt illam Eclipſin in lucem editum fuiſſe. Quibus ſi ætatis ejus anni 40. addantur conficientur anni non pauciores quam 56. cùm tamen ab Eclipſi illa ad finem Regni Aſtyagis & initium Cyri numerandi ſint tantùm anni 25. Sic quomodo cohæreant iſta non video, quod Aſtyages, dum Cyrum nepotem præcepit exponi, jam tum Regno Medorum, Patri Cyaxare mortuo, potitus fuit: Cyrus autem nepos, cùm avum Regno privaret, habebat annos ætatis 40. cùm tamen totum tempus Imperii Aſtyagis non ultra 35. annos extenſum fuit. Addo & iſtud, quæ citatis locis, Plinius l. 2. c. 12. & Cicero lib. 1. divinationum, totam illam Hiſtoricam Herodoti narrationem reprehendere videtur. Uterque enim dicit illam Eclipſin factam eſſe Aſtyage regnante: Ergò Cyaxare non amplius vivo, ſed jam mortuo. Quare illud Lydorum & Medorum bellum ſi quod fuit, longè ante præceſſit, nec prælium illud, hac à Thalete prædictâ Eclipſi fuit diremptum, nec etiam occaſio pacificationis fuit, aut tota Hiſtoriæ ſeries longè aliter habet. Quare cum iſta narratio ſit confuſa, & incerta, quomodo alibi, præſertim quando alii Hiſtorici contraria referunt Herodoti aſſertiones ſeu atteſtationes pro Oraculis habebemus?

Omnibus igitur circumſtantiis, cum Hiſtoriarum ſerie diligenter pon-

dentis, colligimus, quòd Cyrus Babylonem occupaverit non paucis annis, antequam Crœſo poſtremùm victo, totaque Lydia ſibi ſubjecta Sardeis anno 4. Olympiadis 57. ſive anno 1. Olympiadis 58, ut victor intravit. Obtentâ enim de Babyloniis Victoriâ Cyrus res Babylonicas compoſuit, ut Juſtinus habet, h. e. quemadmodum quæſtione ſecunda ex Beroſo & Megaſthene probavimus, Nabonnidum, qui fuit Darius Medus, ſibi cum exercitu ex Perſia adverſus Babylonios adventanti, armata manu fortiter occurrentem profligavit, pòſt deſtructis muris urbem cæpit, Dariumque in Borſippo, quò confugerat obſidione cinctum ad deditionem adegit, quem ſanè urbe relegatum, Carmenienſi tamen præfecturâ donavit. Urbem Babyloniæ verò, ne denuò deficeret, præſidiis munivit. Quibus factis bellum in Lydiam tranſtulit, Lydorum autem exercitum cum ſuo Rege Crœſo devicit, Crœſumque cæpit, ſed humaniſſimè tractatum urbi Barce præfecit, poſt aliquantum autem temporis interjectum, cùm Cyrus aliis bellis eſſet detentus, Lydii rurſus defecerunt, ſed à Cyro rurſus domiti ſunt, &c. Hæc omnia, plurium profectò annorum Hiſtoriæ ſunt. Verùm ſicut initiò hujus quæſtionis diximus, dolendum eſt, quod nullus certus horum annorum numerus, aut quo anno Cyrus Babylonem ut victor ingreſſus ſit, ab ullo hiſtoricorum diſertè traditur.

3. Autoris de tempore captæ Babylonis ſententia

Num ergò ejus inquiſitio impoſſibilis eſt & planè fruſtranea? Reſpondetur nequaquam. Nam eum defectum fragmenta ex Beroſo & Megaſthene, ex quibus, quæſtione ſecunda multa deduximus, nobis reſarciunt. Anni enim omnium Regum Babyloniorum à Nebucadnezare ad Cyrum, ſecundum ordinem & ſucceſſionem eorum, collecti, totam periodum Regni Babylonici, usque ad ejus deſtructionem, ſub Dario Medo factam, numerant. Juxta hanc verò numerationem, inuenimus ſupra quæſtione ſecunda, annum Nabonnidi ſive Darii Medi ultimum, finiri cum ſecundo anno, ſive circa initium anni 3. Olympiadis 55. circa medietatem anni $558\frac{1}{2}$. ante Chriſtum. Hinc ergò indubitatò concludimus & ſtatuimus, quòd Cyrus Rex Perſarum illo ipſo tempore Darium Medum vicerit, eoq; in fugam acto Babyloniorum urbem fortiter adortus fuerit, & vi captam in ſuam poteſtatem redegerit, atque hoc modo Aſſyriorum Regnum Perſis ſubjecerit. Et hunc eſſe verum Captæ Babylonis annum, egregiè comprobant dies angelici, hoc eſt anni 21. Dan. 10. qui usq; ad ſolutam captivitatem Judæorum Babylonicam reſtant, ſed de his agetur parte poſteriori quæſtionis ſeptimæ.

Factum iſtud eſt calculo Chronologico demonſtrante, poſt Joachaz Regem Juda. *2. Reg. 23. v. 34. 2. Paralip. 36. v. 4.* in Ægyptum à Pharaone Necho abductum, annis 70. A primo anno Nebucadnezaris Magni,

gni, anno 67. A Jechonia Rege Iuda in Babylonem abſtracto, anno 60. A Zedechia in Babylonem abducto, temploq; Hieroſolymitano combuſto, & urbe vaſtata, anno 49. Anno labente 3. Cyri, avo Aſtyage devicto, Regnoq; Medorum Perſis ſubjecto quo eodem tertio anno Daniel menſe primo ( h. e. aliquot menſes ante Babylonem Captam, hoc enim partim ex denominato primo menſe, partim ex cæteris circumſtantiis colligitur ) diebus 21. Dominum pro liberatione populi oraverat Dan. 10.

## V. Quæstio.

## *De 4. transmigrationibus ſeu captivitatibus Babylonicis populi Judaici, & quando qualibet earum ceperit.*

PRo hac quæſtione enodandà, obſervandùm eſt, quòd quatuor Reges Judæorum, cum magna populi Iudaici parte à Regibus Aſſyriorũ capti, & ij in Babylonem abducti fuerunt, ſimulq; Templum in Hieruſalem, vel ex parte, vel totum, per incendia aut direptiones ſacrorum vaſorum fuit violatum, unde rectè dicimus, quatuor fuiſſe captivitates ſive transmigrationes Iudæorum in Babyloniam. Quatuor Captivitates Babylonicæ.

Earum prima fuit; quando Manaſſes 2. *Paral.* 33. *v.* 11. fuit abductus, catenis & compedibus vinctus, Is autem brevi, poſtquàm peccata ſua agnovit, fuit reductus. Quando autem hæc transmigratio facta ſit, diſertè non exprimitur, veriſimiliter autem concluditur ( cujus rei Laurentius Codomannus in Annalibus ſuis nos monet ) circa annum 37. Regni Manaſſis eam accidiſſe. Nam libro Tobiæ ( qui quidem liber Apocryphus eſt, & quemadmodum nonnullis magnis viris placet, ab erudito quodam ſancto & eximio viro, ſive ex Prophetarum, cantorum aut Poëtarum numero inter Judæos fuerit, in forma elegantiſſimæ comœdiæ confictus & conſcriptus. Nos tamen ea, quæ in hoc libro Chronologica ſunt, non conficta, ſed vera eſſe judicamus. Hoc enim præcipuum comœdiarum & Tragœdiarum ornamentum eſt, ut quæ in eis ad antiquas Hiſtorias reſpiciunt, eà à temporum illorum circumſtantiis non diſcrepent ) Scribitur, quòd Tobias, poſtquàm occiſo Senacherib Rege Aſſyriorum, domum ad ſuos redierat, c. 1. aliquantum pòſt excæcatus fuerit. c. 2. anno ætatis 56. c. 14. Eodem c. legitur, quòd moriturus anno 1. Sub Manaſſe.

ætatis

ætatis 102. prædixerit, *Templum ſeu domum Domini, quæ ſit incenſa, reædificandam eſſe.* Ergò templum Domini tum fuerat incendio læſum. Verùm quoniam temporis ratio non fert, ut de templo ſub Zedechia concremato accipiatur, veriſimile eſt, iſta ad tempora Manaſſis (intra ea enim finiuntur) referendam eſſe. Videtur ergò Manaſſes, & paulò antè mortem Tobiæ, non ſine aliquo templi ejusvè partium incendio, eſſe captus, ſed mox vel brevi pòſt reverſus. Etenim ſi Sennacheribo occiſo, ponamus Tobiam attigiſſe *56.* annos, ſequitur omninò eum mortuum eſſe anno 38. Manaſſis, (numerandi autem ſunt, Chronologico calculo id poſtulante, quatuor anni primi Manaſſis, ijdem cum poſtremis annis Hiskiæ.) Quare circa annum 37. captus fuiſſet Manaſſes, & circa 39 iterum dimiſſus. Hæc inquam, probabili ratione ex antiqua Hieronymi translatione ſic colligi poſſunt. Verùm dum hæc ſcriberem, inſpexi etiam Hebraicum textum, quem Sebaſt. Münſterus ſuis Grammaticis Hebraicis addidit, unà cum Latina verſione, item textum Græcum, ſecundum 70. Interpretes, & inveni, quòd iſti Chronologici numeri in Hebraico textu omninò deſint, in Græco autem aliter ſe habeant. Nam pro *56.* annis ætatis, quando Tobias excæcatus fuit, Græcus habet *58.* & pro quatuor annis cæcitatis, usque ad *60.* annum ætatis, Græcus habet octo, qui extenduntur ad *66.* annum. Et pro totius vitæ annis 102. Græcus habet *158.* Sic ubi vetus translatio habet annos ætatis junioris Tobiæ *99.* Græcus habet 127. Inſuper ibi non loquitur Tobias de templo, ſive toto, ſive ex parte incenſo, ſed futuro tempore incendendo. Hæc diverſitas facit, ut hos numeros omnes abjiciendos exiſtimem, niſi forſan Latina Hieronymi verſio præferenda putetur Græcæ, quia eam ex Originali Chaldaica translatam eſſe, Hieronymus in Epiſtola libro Tobiæ præfixa ait. Sed Græca *70.* Interpretum translatio, alibi ſæpè numeros Hebraicos commutat. Quod ſi omninò numeri Græcæ translationis valere debeant, annus mortis Tobiæ incidet non in tempora Manaſſis, ſed in quartum annum Ioakim, proximum poſtquam etiam ipſe in Babylon fuit abductus, ſicut mox ſequetur.

2. Sub Ioakim.

Secunda Transmigratio, accidit ſub Rege Ioakim. De hujus captivitatis tempore inter Chronologos, quin & magnos alios viros ſimiliter litigatur. Verùm ſi hiſtoriæ Biblicæ ſeriem (ſcripta Ioſephi, & hîc, & alibi, ubicunque textus Biblicus planus eſt ſeponenda ducimus) probè intueamur, res expedita eſt, 2. Regum 24. v. 1. legitur: *In diebus eius (Ioakim) aſcendit Nabuchodonoſor Rex Babylonis.* 2. Paralip. ult. v. *6.* *Contra hunc (Ioakim) aſcendit Rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem, ad quam vaſa Domini transtulit, & poſuit ea in templo ſuo, quod erat*

in

*in Babel.* Iſtud, quando factum ſit, expreſsè indicatur Daniel. cap. 1. v. 1. *Anno tertio Regni Ioackim Regis Iuda, venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Ieruſalem, & obſedit eam, & tradidit Dominus in manus ejus Ioakim Regem Iuda, & partem vaſorum Domus DEI, & aſportavit ea in terram Senaan, in domum Dei ſui, & vaſa intulit in domum theſauri Dei ſui.* Ergò anno tertio Ioakim hæc transmigratio facta eſt, qui fuit ultimus annus Nabuchodonoſoris primi, quia annus quartus Ioakim eſt annus primus Nebucadnezaris Magni, Ieremiæ 25. v. 1. Unde conſtat, quòd de hac captivitate loquatur etiam Beroſus, cujus fragmentum, ex Ioſepho, poſt quæſtionem primam poſuimus. Hac captivitate abductus etiam fuit Daniel cum ſuis ſocijs. Danielis 1. fol. 12.

Veriſimile autem eſt Ioakimum ex Babylone, quò deductus fuit, catenis ligatus, 2. Paralip. 35. v. 6. mox eodem anno dimiſſum fuiſſe, Daniele cum ſocijs ſuis ibi retento. Nam anni ejus quarti, fit mentio Ieremiæ 25. v. 1. & cap. 31. v. 6. & cap. 45. v. 1. & cap. 46. v. 2. ſic anni quinti, cap. 36. v 9. quo tempore certè Rex, ſicut & ſequentibus usque ad vitæ finem, domi in terra Iuda regnavit liber, niſi quòd, ut 2. Regum 24. v. 1. indicatur, Regi Babyloniorum fuit tributarius. Eam autem ſervitutem præſtitit, non niſi tribus annis, poſt quos iterum rebellavit. Verùm poſt iſtud triennium Rex Aſſyriorum, dum viveret Ioakim, redijſſe non legitur. *Dominus quidem,* ſicut habetur 2. Regum 24. v. 2. *immiſit latrunculos ſive exercitum Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum, & Ammonitarum, in terram Iuda, ut terram diſperderent, juxta Verbum Domini, &c.* At de ipſo Rege Chaldæorum Nebucadnezare nihil habetur. Quod autem de Rege Ioakimo vaticinatur Ieremias cap. 22. v. 18. & 19. *Hæc dicit Dominus ad Ioakim, filium Ioſiæ, Regem Iudæ, non plangent eum, &c. Sepulturâ aſini ſepelietur, trahetur, & projicietur ultra portas Ieruſalem,* & cap. 36. v. 30. *Cadaver ejus ( Ioakim ) projicietur ad æſtum per diem, & ad gelu, per noctem, &c.* Nos non accipienda cenſemus, quòd Ioakim in Babel fuerit perductus, & ibi iſta paſſus, ( quemadmodum non pauci magni viri ita ſentiunt, ſequentes Ioſephum, ut mox dicemus ) nam eo vivo, Babylonius Rex reverſus non eſt, ſed domi, in terra patria, non in exilio mortuus eſt. Verùm, etſi nulla hoſtili vi quaſſante muros Ieroſolymorum, mortuus fuerit, niſi quòd vero abſimile non videtur, à latrunculis, qui terram Iuda vaſtarunt, tandem circumventus & occiſus perierit, dubium tamen non eſt, quin hæc omnia ei, non Babylone, ſed Ieroſolymis acciderint. Nam 2. Paralip 36. v. 8. de morte ejus nihil habetur. Et 2. Regum. 24. v. 6. de morte quidem ſcribuntur hæc: *Et dormivit Ioakim cum patribus ſuis, & regnavit Ioachin filius ejus pro eo :* At de ſepultura illic nihil legitur. Ita

Propheta Ieremias cadaver ejus extra muros, non Babylonis, ſed Ieroſolymorum projectum iri dicit.

Ioſephus libr. 16. cap. 7. Antiquit. hanc Ioakimi hiſtoriam longè aliter enarrat, vid. quod anno quarto, ex quo Ioakim regnare cepiſſet, Nabuchodonoſorus, Regem Ægypti Nechao, qui tum toti Syriæ dominabatur, domuerit totamque Syriam, ſolâ terrâ Iudæorum exceptâ, ſubegerit. Inde verò anno quarto, Regni Nabuchodonoſori, qui eſt annus octavus, Ioakim, Nabuchodonoſor bellum Iudeæ quoque intulerit, extrema minitans, niſi etiam ipſa, ſicut reliqua Syria, tributa pendeat. Unde Ioakim pacem pecuniâ mercatus, tributa per triennium ſolverit: ſed poſt eos vanâ de Ægyptiaci Regis expeditione adverſus Babylonium ſuſcipienda, ſpe lactatus, tributa negaverit, ſimulque alia plurima mala perpetraverit. Tandem verò Prophetijs Ieremiæ territus, Nabuchodonoſorum venientem in Urbem receperit, at is fidem non ſervans, Ioakimum Regem catenis vinctum, in Babylonem traxerit, ubi mortuus quidem fuerit, at inſepultus manſerit. Addit præterea Ioſephus, Ezechielem Prophetam, cum alijs 3000. viris, in captivitatem fuiſſe pertractos, &c. Verùm his, ſacra Scriptura longè contraria recitat. Nebucadnezar ſanè domuit Ægyptiorum Regem, quemadmodum diſertè habetur, 2. Regum 24. v. 7. At id nequaquam factum eſt, anno quarto Nebucadnezaris, vel octavo Ioakimi, ſed expeditio illa cepta eſt atque abſoluta anno tertio Ioakimi. Daniel. 1. v. 1. & anno quarto ejusdem, Ieremiæ 46. v. 2. & 13. hoc eſt, juxta Beroſum in fragmento, vivo adhuc patre Nabuchodonoſoro primo. Quæ ſic accipienda cenſemus. Nabuchodonoſor ſenior, auditâ Satrapæ, ſive Regis Ægypti Nechao defectione, miſit filium Nebucadnezarem. Hic in Ægyptum cum exercitu profecturus, tranſijt cum exercitu per Syriam & Palæſtinam, quo tranſitu obſedit & cepit Ieruſalem. *Dominus verò tradidit ei Ioakimum, Regem Iudæ, & partem vaſorum domus DEI, quæ aſportavit,* (hoc eſt, aſportari fecit, eveſtigio, antequam ulterius progrederetur) *in terram Sennaar, & repoſuit in domum Dei ſui,* Daniel. 1. *quæ eſt in Babel.* 2. Paralip. 36. v. 7. Hæc facta ſunt anno tertio Ioakimi, Daniele teſte. Sed Ioachim, Rex Iudæ, mox eodem anno in Regnum fuit reſtitutus. Nam anno Regni ſui quarto, ſicut ex Ieremia 46. probavimus, captivus non fuit, ſed liberè (niſi ut tributarius) regnavit. At eo ipſo tempore, de quo Propheta Ieremias cap. 46. loquitur, pater Nebucadnezaris, quemadmodum ex fragmento Beroſi videre eſt, mortuus nondum fuerat, quia (verſ. 2.) exercitus Pharaonis Necho nondum percuſſus fuerat, ſed (verſ. 13.) Nabuchodonoſor erat modò venturus, & terram Ægypti percuſſurus. Quoniam autem idem annus quartus Ioakim, ponitur etiam

annus

annus primus Nebucadnezaris, Ierem. 25. v. 1. ex eo colligitur certa hiſtoriæ ſeries, Nimirum quòd anno tertio Ioakim, Nabuchodonoſor ceperit Urbem Ieruſalem, cum Ioakimo Rege, & aliqua populi parte, inter quos captivos etiam Daniel fuit. Hos cum vaſis aliaque præda Nabuchodonoſor mox in Babylonem transmiſit, ſed eodem anno Ioakim fuit reſtitutus. Inde circa initium anni quarti, hoc eſt, tempore Verno (in Vere enim Iudæi annum ſuum incipiunt) facta eſt Prophetia Ieremiæ cap. 46. Poſt eodem anno victo Satrapâ, ſive Rege Nechao, & percuſsâ Ægypto, nuncius mortis patris Nebuçadnezari, filio affertur, quo accepto ipſe in Chaldæam reverti properat, cætera per amicos efficit. Ioakimus verò Rex tributa pendet tribus annis, hoc eſt, usque in annum Regni ſui ſeptimum, poſt, cùm per reliquos quatuor annos, ceu fœdifragus ea denegaret, Rex Babylonius exercitum ſuum ſive latrunculos in terram Iudæam immiſit, ipſe verò non niſi poſt plures annos eò revertitur, ac tùm Ioakimum deprehendit mortuum, filium verò Iechoniam jam tres menſes regnantem, &c. Præterea apud Ioſephum etiam iſtud falſum eſt, quòd Ezechiel cum Ioakimo abductum dicit, is enim cum Iechonia in exilium abijt, Ezech. 1.

Et ſi quod res eſt, hîc celare non velimus, Regem Ioakimum, Babylonem nunquam deportatum, multò minùs autem ibi mortuum eſſe, quemadmodum Ioſephus, & qui eum ſequuntur, aſſerunt, cenſemus. Quòd ibi mortuus non ſit, ex antecedentibus patet. Quòd ſi in Babylonem fuit abductus neceſſe eſt, id aut anno vitæ ultimo, aut aliquo intermedio, inter tertium & ultimum Regni annum, aut ipſo anno tertio factum eſſe. At ultimo anno id factum non eſt, quia Nebucadnezar tertio demum menſe, poſt ejus mortem in Iudæam venit, quando filius ejus Iechonias ſe fidei ejus ſuaſu Ieremiæ, commiſit. Et veriſimile nequaquã eſt, quod S. Scriptura idipſum reticuiſſet, verùm ipſa ècontrà in patria mortuum dicit. Nec intermedio aliquo anno abductum fuiſſe, ex eo conſtat, quòd anni Regni ejus, absque ulla interruptione numerantur undecim, nullâ captivitatis hujus mentione factâ, qualis certè in Manaſſis hiſtoria non diſſimulatur. De Chaldæorum aliarumque nationum latrunculis quidem legitur, quod poſtquàm Ioakim Babylonio Regi tributa negabat, in terram Iuda vaſtandam fuerint immiſſi, ſed quòd Regem abduxerint in Babel captivum, nihil legitur. At nec tertio illo anno eum in Babylonem delatum fuiſſe, vix perſuaderi poſſumus. Vetus quidem translatio habet 2. Paralip. 36. v. 6. *Contra eum aſcendit Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum, & victum catenis duxit in Babylonem.* Verùm hebraicus textus: *Et vinxit eum compedibus duplicibus, ut abduceret eum in Babel,* vmid

band jhn mit Ketten/ daß er jhn gehn Babel führet. Senſus ergò eſt, Ioakim eo nomine vinctum fuiſſe, ut abduceretur in Babel. At factum id non eſſe nimia temporis brevitas, ut credamus, obſtat. Etenim ipſe non modò propè finem, ſive ultrà medium ejus, ſed etiam circa initium anni quarti, ſui Regni non exulavit. Illud enim ex cap. 25. Ieremiæ conſtat, ubi annus quartus Ioakim eſt annus primus Nebucadnezaris. Ergò pater Nabuchodonoſor ſenior tùm vitâ fuerat functus, & per conſequens Ægyptus devicta, ejusque Rex Nechao, ſive Satrapa, debellatus, teſte Beroſo. Hoc verò apud eundem Ieremiam cap. 46. innuitur, dum oſtenditur, quòd eodem anno quarto Nebucadnezar in Ægyptum non pervenerit. Ergò illud circa finem, ſive ultrà medium anni tertij, hoc autem circà initium anni quarti factum eſt, nihilominùs tamen circa illud hujus quarti anni initium, nulla amplius capti, vel abducti, vel reducti Regis fit mentio, non aliter, quàm ſi ex ſuo Regno nunquam fuiſſet egreſſus. Oportebat ergò Regem Ioakim, non modò in Babylonem translatum, ſed etiam inde reductum fuiſſe, intra illud tempus, quo Nebucadnezar in terra Iuda morabatur, vel forſan hybernavit, antequam in Ægyptum, cujus gratia principaliter exercitum, ut ex Beroſo patet, eduxerat, perveniret. Id autem vix credi poteſt, cùm profectio illa eundo & redeundo, plures menſes, ut ex libro Eſdræ & Nehemiæ patet, conſtet. Sic Daniel. cap 1. & 2. Paralip. 36. legitur de tradito, ſive captivo Iojakimo, ſed non ſimiliter de translatione ejus, ſicut de transportatione vaſorum templi, verba ſonare videntur. Ita 2. Regum 24. agitur de vaſtatione Regionis, ſed de captivo Rege abducto nihil. Cui conſentit Beroſus, qui pro commendatione rerum geſtarum Nebucadnezaris non prætérijſſet, quòd Regem Iudæorum non tantùm cepiſſet, ſed etiam Babylonem transmiſiſſet.

Quare Iudæi hac ſecunda captivitate, multa calamitate ſunt affecti, multi eorum abducti, inter quos etiam Daniel cum ſocijs ſuis, templum deprædatione violatum, inſuper etiam Rex eorum captus quidem fuit, attamen in Babylonem abductus cum cæteris non fuit: aut ſi fuit: breviſſimo tempore ibi fuit detentus, ſed eveſtigiò remiſſus, & Regno reſtitutus. Hæc captivitas incidit in ultimum annum Nabuchodonoſoris primi, qui eſt annus tertius Olympiad. 38. ante Chriſtum 626. Ii verò, qui tùm abducti, & Babylonem translati ſunt, in patriam terram non redierunt. Daniel, qui & ipſe de ſanguine Regio natus, creditur, quemadmodum Daniel. 1. v. 3. colligi poſſe videtur, in Babylone, ſive terra captivitatis conſenuit. Licet enim tempora Cyri attigerit, mortuum tamen plerique putant, anno primo Cyri, quo toti populo in patriam redeunti

deundi poteſtatem conceſſit. Daniel. 1. verſ. ult. ſic etiam vaſa templi, anno hoc tertio Ioakimi, in Babylone manſerunt, donec Cyrus ea redderet.

Tertia captivitas Babylonica cum Iechonia Rege Indæorum Iojakimi filio cepit. Hæc multò durior & triſtior fuit, adeò ut priores illæ, cum hac non comparandæ videantur. 3. Sub Iechonia.

Jechonias vel Joachin, mortuo patre, regnavit tres menſes, & decem dies, *2.* Regum *24.* v. 8. 2. Paralip. *36.* v. *9.* Eo ergò tempore advenerunt primò ſervi, ſive exercitus Nebucadnezaris, deinde etiam ipſe Rex Nebucadnezar, in Ieruſalem, & Urbem obſidione cinxit. Iechonias verò (ſuaſu Ieremiæ, quemadmodum & toti populo, & Zedekiæ fideliter conſuluerat, ad Regem egreſſus, fidei ejus, ſe commiſit, atque ſic in voluntarium exilium abijt. Ioſephus dicit libr. *10.* cap. 8. & *9.* Nebucadnezarem occidiſſe Iojakimum, & ejus loco Iechoniam ſubſtituiſſe, at poſt tres menſes pænituiſſe veritum, ne filius injuriam propter patrem injuſtè occiſus ulciſceretur, & totam Regionem ad defectionem perpelleret, idcircò exercitum contra eum duxiſſe, &c. Verùm quia hujus nullum veſtigium in ſacra Scriptura apparet, nos relinquimus. Cenſemus autem Nebucadnezarem offenſum, defectionem Iojakimi ante aliquot annos factam, jam vindicare voluiſſe in filio, cùm patrem vivum non inveniret. Porrò Nebucadnezar non tantùm Iechoniam Regem, ejusque matrem, uxores, omnes fratres, Principes, Duces, & Artifices, nemine præter pauperes populi in terra relicto, transtulit in Babel, ſed & omnes theſauros domus DEI, & domus Regis, concidit omnia vaſa aurea, quæ fecerat Salomon, illa omnia ſecum abſtulit, Regem item (contra datam fidem) carceri incluſit, ex quo poſt *37.* demum annos, mortuo Nebucadneyare, fuit liberatus. Hac transmigratione Ezechiel Propheta quoque abductus fuit. Ezechiel. 1. Hinc cap. 1. v. 2. numerat ejus annum quintum, cap. *8.* v. 1. annum ſextum, cap. *20.* v. 1. annum ſeptimum, cap. 24. v. 1. annum nonum, cap. *29.* v. 1. annum decimum, cap. *26.* v. 1. & cap *30.* v. *20.* & cap. *31.* v 11. annum undecimum, cap. *32.* v. 1. & 17. & cap. *33.* v. 21. annum duodecimum, cap. *40.* v. 1. annum vigeſimum quintum, & cap. *29.* v. 17. annum vigeſimum ſeptimum. Sic 2. Regum ult. v. *27.* & Ieremiæ cap. ult. v. *31.* anni trigeſimi ſeptimi fit mentio. Qui anni omnes, ab hac transmigratione ſuum initium ſumunt.

Accidit autem hæc tertia transmigratio anno octavo Nebucadnezaris, 2. Regum 24. v. 12. Ieremiæ cap. ult. v. *28.* numerat annum ſeptimum, completum ſcil. Is eſt annus tertius, Olympiad. 40. ante Chriſtum 618.

Quicunque hac captivitate abducti ſunt, manſerunt, & mortui ſunt in exilio, & vaſa templi demum à Cyro fuerunt reſtituta. Iechonias verò totos 36. annos carceribus, contra datam fidem, ut Ioſephus indicat, concluſus fuit. Ioſephus enim libr. 10. cap. 9. & 12. Antiquit. refert, quòd Iechonias cum Babylonio Rege pactus, de incolumitate Urbis, Templi & Civium, obſides dederit, matrem & cognatos, & fidem à Babylonio fuiſſe violatam. Verùm Evilmerodach, Nebucadnezaris Magni filius, primo anno Regni ſui, poſt patris mortem, hunc Iechoniam ex carceribus eduxit, & inter familiares ſuos collocavit, 2. Regum cap. ultimo, Ieremiæ ultimo.

4. Sub Zedechia.

Quarta Babylonica captivitas populi Iudaici, eſt quæ ſub Zedechia ultimo Judæorum Rege accidit, quando nimirum Rex Zedechias & omnis populus in Babylonem abductus, Templum ſuccenſum, dirutum & deſtructum, tota urbs vaſtata, atque omnis politia Judæorum ſublata fuit. Hæc fuit omnium miſerrima captivitas, quando & Regnum deſtructum, & terra deſolata atque deſerta (Chaldæi enim, ut Beda monet, in Judæam non miſerunt colonos, ſicut antè Aſſyrii in Samariam) & in primis cultus divinus Templo combuſto Sacerdotioque ablato, & vaſis Templi abreptis, abolitus fuit. De illa miſeria legitur *2. Reg. ult. 2. Paralip. ult.* in plurimis locis apud Jeremiam præſertim c. 39. & 52. Joſeph. lib. 10. c. 10. & 11. Antiquit.

Præter hiſtoriam hanc ex Sacris, extat etiam fragmentum Alexandri Polyhiſtoris apud Euſeb. lib. 9. præparationis Evang. quod quia quædam memoratu digna habet, hûc ponendum duximus. *Præterea, inquit Euſebius, eam Prophetiam Ieremiæ cujus (Alexander) Polyhiſtor mentionem facit, ſilentio præterire, valdè eſſet abſonum. Ea ſic habet. Deinde Ionakimo (dicit Alexander) de tali re Ieremiam Prophetam Prophetaſſe, eum nimirum, quem DEVS miſerat, ut Iudæos aureo idolo, cui nomen Baal, ſacrificantes, redargueret: atq; hanc eis futuram calamitatem denunciaſſe, Ionakimum autem* (NB. *quem Polyhiſtor Ionakim, vel Joakim vocat, is ſicut ex Scriptura Sacra patet eſt Zedechias, Polyhiſtor ergò in nomine lapſus eſt*) *voluiſſe ipſum (Prophetam) vivum comburere, eum verò dixiſſe, quòd ipſi ijs ipſis lignis ſint apud Babylonios cibum cocturi, & alveos Tigridis & Euphratis effoſſuri. Nam ipſos eò captivos deducendos eſſe. Babyloniorum igitur Regem Nabuchodonoſor, ubi hæc à Ieremia prædicta eſſe audivit, accerſiviſſe in belli Societatem Aſtibarem Medorum Regem: Et conſcripiſſe Babylonios & Medos, atq; collegiſſe pedites 18. equites verò 12. myriades, & plauſtra peditum, unam myriadem. Et primò quidem Samariam expugnaſſe, & Galilæam, & Scythopolin, & eos Iudæos, qui Galaatida inhabitant. Poſtea Hieroſolymam occupaſſe,*

*ſe, Regemq́ue Iudæorum Ioakim vivum cepiſſe, & aurum quod in Templo fuit, argentumq́ue & æs abſtuliſſe, atq́ue in Babyloniam tranſmiſiſſe, præter Arcam, & quæ in ea fuerunt, Tabulas, Eam enim Ieremiam aſſervaſſe.* Hoc fragmentum pauculis mutatis, cum Sacra Scriptura egregiè convenire dubium non eſt. Hieremiam enim captivitatem illam prædixiſſe, & ad deditionem hortatum fuiſſe; totum ejus Propheticum volumen teſtatur. Regem verò Zedechiam, quem Polyhiſtor Jonakim vel Joakim vocat, voluiſſe occidere Prophetam ſatis ex ejusdem libro conſtat, an autem vinctum eum comburere voluerit, non exprimitur, attamen negari nullo modo poteſt. Iſtud enim certum eſt, multò plura geſta eſſe quàm Scripta ſunt. Ieremiæ παῤῥησία ſatis quoque ex Scripto ejus cernitur. Ita ex *cap. 40. Ierem.* certum eſt, quòd Prophetia, ejusque cohortatio, ut Babylonio civitas tradatur, non intra privatos Regis Zedechiæ parietes manſerit occultata, ſed ad exteros, atque ſic etiam ad Regem Babyloniorum fuerit delata, qua occaſione Nabuchodonoſor tanto majori ſumptâ fiduciâ præſertim cùm bis antè, felici ſucceſſu contra Iudæos pugnaverit, bellum contra Judæam, & alias vicinas gentes concitavit. Ita de multitudine ſociorum belli ſcribit Ieremias *c. 34. v. 1. Nabuchodonoſor Rex Babylonis, & omnis exercitus ejus, univerſaq́ue Regna, quæ erant ſub poteſtate manus ejus, & omnes populi bellabant contra Hieroſolymam, & contra omnes urbes ejus.* Sic iſtud cum Sacra Scriptura concordat, quòd Regem Zedechiam (quem Joakim nominarant) vinctum ceperit, omniaque Templi pretioſa abſtulerit. Item de Arca fœderis quod dicitur, authoritatem aliquam in Scriptura habet librum ſanè Apocryphum, attamen non ſimpliciter aſpernandum. Ea enim de re legitur *2. Maccab. 2. v. 5. & ſeqq.* veruntamen ejus authoritas valeat quantum poteſt, ſufficit enim cætera convenire:

Capta autem eſt urbs Hieroſolymorum, & Templum exuſtum, anno 11. Zedechiæ. *2. Reg. 25. v. 2. & 3. Ierem. 39. v. 2. & c. 52. v. 5. menſe 4. Ier. 39. v. 2. & c. 52. v. 6.* (*2. Reg. ult. v. 3.* legitur nono menſe, verùm exiſtimatur legendum nona die quarti menſis) hoc eſt noſtro Iulio. Is fuit annus decimus nonus Nebucadnezaris. *2. Reg. ult. v. 8. Ier. 52. v. 12.* Invenimus autem ſupra quæſtione I. initium Nebucadnezaris coincidere cum initio quarti anni Olymp. 38. Ergò anni 19. ejuſdem initium convenit initio anni ſecundi Olymp. 43. circa medium anni 607. ante Chriſtum. Et hoc ipſo tempore Hieroſolyma fuit capta, regnumq; Iuda excíſum, atque Templum deſtructum: à diviſione Regni Juda & Iſraël poſt annos 390. completos, à Templo per Salomonem inchoato poſt annos 427. à primo ingreſſu populi in terram ſanctam (ſemeſtri circiter ante mor-

te mortem Moſi,) anno 980, à mundo creato 3473. ante ultimam urbis ejusdem, & Templi ultimi vaſtationem anno 676. Euſebius in Chronicis aliter numerat. Sic enim habet ad annum 2 Olympiad. 47. Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum, Hieroſolymis captis Templum incendit, quod ab initio ædificationis ſuæ manſerat annis 442. Sententiæ autem noſtræ etiam Clemens congruit in 1. Strom. 47. Olympiade captivitatem Iudæorum factam eſſe conteſtans &c. At captivitatem hanc non in 47. ſed 45. Olymp. cadere, anni Nebucadnezaris evincunt. Ita, quòd Templum ſteterit annis tantum 427. non 442. alibi demonſtramus.

## VI. QUÆSTIO.

## *Quòd annus proximus ante hanc 4. Captivitatem Babylonicam ſive ante deſtructum Templum fuerit Jubilæus.*

1. Jubilæi-læorum & Sabbatariorum Characte. ETſi in toto Veteri Teſtamento nulla expreſſa annorum Sabbatariorum aut Jubilæorum celebratorum fiat mentio: Ex Synodis tamen provincialibus, & lectione Legis Domini Solenni, tanquam certis & indubitatis temporum Characteribus, juxta mandatum *Deut. 31. v. 10.* & ſeqq aliquot anni Sabbatarii agnoſcuntur, ſecundùm quos hiſtoriæ Sacræ per ſeptenos annos commodè diſtribui poſſunt. Verùm præter hunc annum proximum ante ultimam Babylonicam captivitatem, nullius Jubilæi nota vel index deprehenditur. Quare hic annus in primis notandus eſt, hic enim ſi negligatur, impoſſibile eſt, cæterarum Hiſtoriarum certum Chronologicum vel numerum, vel connexum indagare. Etſi enim diſtributio per ſeptenos annos alicubi non ineptè procedit: in Majoribus tamen annorum interſtitiis, unius & alterius ſeptennii jactura vel ſuperabundantia non ſentitur. At unius Jubilæi certa & juſta poſitio, per quadragenos & novenos annos omnem errorum occaſionem, quantùm ſcilicet ad univerſalem calculum attinet, tollit. Vniverſali verò Chronologico calculo habito, particularium hiſtoriarum interpoſitio facilis eſt.

2 Initia annorum in hiſtoria Captivitatis Babylonicæ. Pro hujus anni autem inveſtigatione, primò notanda ſunt annorum initia, deinde applicatio fiet plana. Anni Regum Juda communiter initium habent à vere, menſe ſuo primo. Anni autem Nebucadnezaris incipiunt ab Æſtate, circa initia Olympicorum annorum, ſicut etiam ſupra

pra quæſtione prima diximus. Anni autem Sabbatarii & Jubilæi, initium habent menſe ſeptimo Judaico h. e. circa autumnum. Porrò Nabuchodonoſor obſedit Hieroſolymam anno 9. Regni Zedechiæ, die 10. menſis 10. *2. Reg. ult. verſ. 1. Ierem. 39. v. 1. & c. 52. v. 4. Ezech. 24. v. 1.* is eſt noſter menſis Januarius, anni 608. ante Chriſtum, anno 4. Olymp. 42. Inde proximo vere h. e. poſt duos menſes, cepit annus 10. Zedechiæ, atque ſequente æſtate cepit annus 1. Olymp. 43. Simulque 18. annus Nebucadnezaris. Itaque annum 10. Zedechiæ, & annum 18. Nebucadnezaris conjungit Ieremias *cap. 32. v. 1.* ſequente autem autumno initium habuit is annus, quem fuiſſe Jubilæum demonſtrare volumus. Inde altero ſequente anno, qui eſt annus 11. Zedechiæ, die nona quarti menſis, invaluit fames in civitate & rupta eſt civitas, & ingreſſi ſunt principes Regis Babylonis, &c. *2. Reg. ult. verſ 3. & 4. Ierem. 39. v. 2. & cap. 52. v. 6.* die verò 7. vel 10. menſis quinti incenſa eſt domus Domini, & domus Regis, & omnes domus Hieroſolymorum, ipſe eſt annus 19. Nebucadnezaris. *2. Reg. ult. v. 8. Ier. 52. v. 12.* Menſis autem quartus eſt noſter Auguſtus, & quintus eſt noſter September. Et annus is 11. Zedechiæ atque 19. Nebucadnezaris, ſunt annus 607. ante Chriſtum, atque 2. Annus Olymp. 42. Igitur Nebucadnezar cepit urbem obſidere circa Januarium anni 608. ante Chriſtum, & cepit eam in Auguſto atque Septembri anni 607. ante Chriſtum. Unde à principio obſidionis uſque ad urbem captam elapſi ſunt 20. menſes, circiter, ſed à principio anni 18. Nebucadnezaris, ad captam urbem, præterierunt menſes 14. ferè. Contextus hiſtoriæ hic qui ſequitur eſſe videtur, per ὕστερον πρότερον enim multa apud Ieremiam leguntur ſcripta. fol. 14.

Poſtquam Nabuchodonoſor urbem obſidere cepit. *2. Reg. ult. v. 1. Ier. 39. v. 1. & cap. 52. v. 4. Ezech. 24. v. 1. & 2.* Rex Zedechias mittit phaſſur, ad Ieremiam, rogatum Dominum ut Regem Nebucadnezarem ab urbe recedere faciat, *quia inquit præliatur adverſum nos. Ier. 21.* Dum autem obſidione cingeret Hieroſolymam, jam tunc, quod ex ſequentibus patet, omnes urbes Iuda expugnatæ fuerunt. Nam *Ierem. 34.* dicitur *quòd Nabuchodonoſor Rex Babylonis, & omnis exercitus ejus univerſaq; Regna terræ, quæ erant ſub poteſtate manus ejus, & omnes populi bellabant adverſus Hieroſolymam, & contra omnes urbes ejus &c. & verſ. 7. Et exercitus Regis Babylonis pugnabat contra Hieroſolymam, & contra omnes civitates Iudæ quæ reliquæ erant, nempe contra Lachis & contra Azecath: iſtæ enim remanſerant de civitatibus Iuda, urbes munitæ.* Ergò quando contra Hieroſolymam promovit Rex Babyloniæ, nullæ munitæ urbes præter has erant reliquæ. Cùm autem Ieremias Zedechiæ ex ore DEI denunciaret, ur- 3. Rerum paulò ante geſtarum ſeries.

bem certò in manus Nebucadnezaris venturam, nec ipſum Regem evaſurum *Ierem. 34. v. 2. usq. ad 7.* Rex ipſum carceri incluſit videlicet in carcere atrii, in domo Regis, ſicut *cap. 32. v. 3.* patet, ubi Rex idipſum quod *cap. 34.* habetur, Prophetæ exprobrat, ſimulq; cauſam incarcerationis indicat. Hæc autem exprobratio facta eſt Anno 10. Zedechiæ, & 18. Nebucadnezaris, h. e. poſt initium primi anni Olymp. 43. Interim Propheta, pro confirmatione, ſe ex ore Domini loquutum, emit juxta mandatum Domini, captivus agrum in Anathoth, &c. ibi ſuccedit cap. 33. Poſt iſta Propheta dimiſſus fuit. Nam *Ierem. 37. v. 4. legitur. Ieremias liberè ambulabat, in medio populi, non enim mittebant eum in cuſtodiam carceris.* Rex autem tum rurſus legatos ad Ieremiam mittit, qui rogent eum, ut pro populo & civitate apud DEUM intercedat. Eo autem tempore, Pharao Rex Ægypti egreſſus fuerat, ut auxilium ferret Iudæis. Quod ubi Chaldæi audiviſſent, receſſerunt à Ieroſolymis. Ieremias ergò eodem cap. ex mandato divino cohortatur ſuos, ne inani ſpe ſe decipiant, quia Ægyptii in ſuam terram ſint reverſuri, & Chaldæi ad obſidionem redituri. Abſentibus autem Chaldæis, Rex Sedechias cum ſuis principibus fœdus init, ut prædicarent libertatem, &c. *Ier. 34. v. 8.* Interim etiam abſentibus Chaldæis, Ieremias ex urbe egreditur (verſ. 12.) ut ibi agrum ſuum nuper emptum divideret, ſive componeret aliquas lites de terminis ejus agri inter amicos vel vicinos exortas. Verùm retrahitur & cæſus de novo in carcerem coniicitur, in domo Ionathæ ſcribæ, in quo carcere ſedit Ieremias *multis diebus.* lange Zeit/ (verſ. *16.*) Intra eos verò dies, quibus Ieremias in lacu & ergaſtulo ſedit, apparet (ex verſu *19.*) Chaldæos à repulſione Pharaonis, ad opem ferendam Ieroſolymitanis, cum exercitu venientis, ad urbis Hieroſolymorum obſidionem reverſos eſſe. Ideò Rex Zedechias animi dubius, Ieremiam clàm ad ſe vocat, ſciſcitari volens, quid agere debeat: (verſ. *17.*) Verùm audit quidem Prophetam, ejusq; carcerem mitigat, ſed tamen non liberat, nec obtemperat, ſed in veſtibulo captivum relinquit. Inde ſequitur hiſtoria cap. 38. quo principes Iuda Prophetam accuſant, quem Rex eorum arbitrio committit, quem ipſi in lacum Cœno plenum projiciunt. Sed Ebedmelech æthiops apud Regem pro eo ejusque vita intercedit, & extrahit. Manet ergò in veſtibulo carceris. Rex (verſ. 14.) rurſus ad eum mittit, & ad ſe vocat. Inde in atrio manendum eſt Ieremiæ uſque dum urbs caperetur, h. e. ad anni ſequentis 11. ſcilicet Zedechiæ menſem 4. ejusq; diem 9.

Hæc ordinè recitanda fuerunt, hæ circumſtantiæ enim propterea diligenter conſiderandæ ſunt, ut ex earum collatione deprehendatur, quando à Rege & populo, fœdus libertatis promulgandæ, ſit percuſſum.

Ritè

Ritè autem omnibus examinatis patet, id circa autumnum, ſive circa diem 10. menſis 7. ubi aliàs anni Sabbatarii & Iubilæi initia ſua habent, & dies expiationis eſt, *Levit. 25. v. 9. cap. 23. v. 27. & c. 16. v. 29. Num. 29. v. 7.* factum eſſe. Propheta enim anno 18. Nebucadnezaris ſive 1. anno Olymp. 43. inchoato, captivus adhuc fuit detentus, pòſt verò forſan brevi, dimiſſus. Circa eadem tempora, circa vel non diù pòſt autumnum (ſequentes enim hiſtoriæ ſatis longum tempus poſtulant) Chaldæi ab obſidione, propter advenientem exercitum Pharaonis, receſſerunt. Ibi igitur ipſis abſentibus, populus cum Rege, pietatem ſimulantes, fœdus de ſervorum manu miſſione (hucuſque vel omninò non, vel rarò præſtita, id enim Propheta *Ier. 34. v. 14.* coarguit) ineunt, procul dubio autem ſperarunt, fore ut Deus ipſos ab obſidione quoq; liberet. Verùm cùm Chaldæos paulò diutiùs abeſſe, nec reverſuros putarent (id enim ipſos ſibi perſuaſiſſe ex verbis Prophetæ *Ierem. 37. v. 9.* colligi poteſt: *nolite decipere animas veſtras, dicentes, Euntes, abibunt & recedent à nobis Chaldæi, quia non abibunt*) exiſtimarunt ſe metu illo liberatos: ideò ad ingenium reverſi, ſervos & ancillas in priſtinam ſervitutem retraxerunt. Iſta Propheta redarguit, procul dubio dùm adhuc liber incederet, poſt autem cùm in Anathoth ad diviſionem agri egredi vellet, retractus & ipſe fuit in vincula & carceres, in quibus multis diebus poſt Chaldæos reverſos fuit incluſus, ejusque captivitas aliquot vicibus alio carcere mutata, donec tandem capta urbe ab hoſte liberaretur. Omnibus ergò circumſtantiis ponderatis, fœdus illud de ſervorum & ancillarum manumiſſione aliò cadere non poteſt, quàm circa tempus autumnale, anni 18. Nebucadnezaris, vel 10. anni Zedechiæ, in anno 1. Olymp. 43. qui eſt anno 608. ante Chriſtum.

NB. Videri tamen etiam poteſt quaſi iſtud pactũ inter ſe coràm Deo factum, durante adhuc obſidione, ea ſpe, quòd propter id Dominus ipſos ab obſidione, & quæ metuebatur ſervitute liberaturus quoque ſit. Verũ utut ſit. certum eſt, fœdus hoc aut ipſo die 10. menſis ſeptimi aut tempore valde vicino fuiſſe percuſſum.

Quod ſi verò hanc ipſam manumiſſionem rectè intueamur, evidentiſſimum Characterem & notam anni non modò Sabbatarii ſimplicis, ſed Iubilæi invenimus. Sabbatarium fuiſſe hunc annum, etiam ex anno 18. Ioſiæ (de quo ſuprà quæſtione prima, diximus) colligimus. Annus enim quintus captivitatis Iechoniæ, qui etiam eſt annus quintus Zedechiæ, eſt annus triceſimus ab Epocha anni 18. Ioſiæ. Ergò annus 10. Zedechiæ eſt annus 35. ab eodem anno. At horum annorum primus, ſcil 18. Ioſiæ, fuit Sabbatarius, ut ſuprà monuimus. Igitur poſt 35. h.e. poſt quinquies 7. annos denuò Sabbatarius ſequi neceſſe habet. At hunc annum, præter Sabbatarium, fuiſſe Iubilæum, ſic demonſtratur. I. quia hæc manumiſſio fuit univerſalis, non particularis aut privatim propoſita. Nulla autem univerſalis manumiſſio fiebat, niſi in Iubilæo, ſeu anno quinquageſimo. Sic enim legitur *Exod. 21. v. 2. Si emeris ſervum Hebræum,*

4. Annus captivitatem præcedens fuit Sabbatarius.

fol. 10.

fol. 11.

 *ſex*

*ſex annis ſerviet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis*, & *Deut. 15. v. 12: cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus aut Hebræa, ſex annis ſerviet tibi, in ſeptimo anno dimittes eum liberum.* Utroq; loco additur, *quod ſi egredi noluerit, propterea quòd diligat Dominum ſuum, uxorem & liberos, ſubulâ præcipit Moſes perforari ejus aurem ad januam vel poſtes domus, & ſerviet usq; in æternum, h.e. usq; ad annum Iubilæum. Sic enim Levit. 25. v. 49. ſi pauper compulſus vendiderit ſe tibi, frater tuus, usq; ad annum Iubilæum operabitur apud te, & poſtea egredietur cum liberis ſuis, & revertetur ad cognationem & poſſeſſionem patrum ſuorum.* Hinc conſtat, quòd particularis vel privata libertas ſervorum, ad annum ſuæ cujusq; ſervitutis ſeptimum, nequaquam ad annos Sabbathicos, niſi is ſimul etiam ſeptimus ſervitutis fuiſſet, adſtricta fuerit. Sed univerſalis ad Iubilæum fuit determinata, adeò ut ſi quis anno ſeptimo liber eſſe non volebat, is in Iubilæo integritati ſuæ reſtituebatur. Quòd ſi intra ſervitutis ſuæ ſexennium Iubilæus incidebat, dubium non eſt, quin eo anno omnimodam aſſequi potuerint, & ſecundùm legem divinam debuerint, libertatem: Adeò, ut etſi anno ſuæ ſervitutis ſeptimo, quidam eorum liberi fieri nollent, jure ſuo in ſeculum ſive in æternum renunciaſſe videbantur: illud ſeculum tamen in Jubilæo ceu univerſali manumiſſione finiretur. Ita hoc loco de univerſali libertate actum eſt. Quare dubium non eſt hunc annum Sabbatarium, Jubilæum quoque fuiſſe.

2. Etſi obiici poſſe videatur, Regem cum ſuis proceribus Regni atque toto populo, quodpiam opus ſupererogationis tentare voluiſſe, ut per id gratiam divinam demererentur, ut ab eis hoſtem mænia quaſſantē averteret: Atque iſtud putari poteſt ex eo colligi poſſe, quod peculiari voto ac fœdere, ſimulque juramento coràm Deo in Domo Domini (Ier. 34. v. 15.) fuit firmatum. Verùm ſi totum contextum intueamur animadvertimus DEUM de nullo ſupererogationis opere loqui, ſed (verſ. 13.) urgere pactum jam olim cum patribus initum in deſerto. Id verò non ad arbitraria, ſed ad ordinaria tempora, nimirum privatim quidem ad annos ſeptimos ſervitutis, publicè autem & univerſaliter ad Iubilæos alligatum fuit. Deinde conqueritur Dominus de patrum & majorum prævaricatione, qui contra pactum illud, ſervos in ſervitute detinuerunt. verſ. 14. ait: *Et non audierunt patres veſtri me, nec inclinarunt aurem ſuam.* Tertiò. Econtrà factum ipſorum comprobat & commendat, verſ. 15. *Et converſi eſtis vos hodiè, & feciſtis quod rectum eſt in oculis meis, ut prædicaretis libertatem unusquisq; ad amicum ſuum, & iniiſtis pactum in conſpectu meo, in domo in qua invocatum eſt nomen meum ſuper eam:* At DEUS electitios cultus ἐθελοθρησκείας nequaquam probat. *Deut. 4. v. 2: Non addetis ad verbum,*

*bum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, cuſtodite mandata DEI veſtri, quæ ego præcipio vobis. Deut. 12. v. 18. Non facietis, ſinguli quod ſibi rectum videtur, & verſ. ult. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* Deus ergò vult ut populus ſuus à ſuis mandatis immediatè pendeat adeò, ut nec loco, nec tempore alieno, nec alio modo, quàm ſicut ipſe præcepit quicquam faciant. Cùm ergò Deus hîc Regis, ejusque principum, populi voluntatem, & devotam obedientiam erga mandatum Dei (quam ut non nudis verbis aut ſimplici facto, ſed ſyncero corde ſuſceptam teſtarentur, ideò coràm Domino in Templo Domini magna cum ſolennitate unanimiter inter ſe pacti, conciderunt enim quod *Ierem. 34. v. 18. & 19.* vitulum in duas partes, & inter ejus diviſiones tranſierunt Principes Juda, & principes Hieroſolymorum, Eunuchi ſive præcipui officiales aulæ Regiæ, ſacerdotes & omnis populus, atque hoc modo majorum ſuorum transgreſſionem deteſtati ſunt) probaverit, ſequitur omninò, ipſos hujus ſervorum & ancillarum manumiſſionis tempore non deliquiſſe, ſed ordinario atque juxta mandatum Dei præſcripto tempore eam promulgaſſe. Quartò. Idem ex oppoſito quoque cernitur, cùm enim Iudæos hujus libertatis conceſſæ mox pœniteret, ipſique ſervos & ancillas in priſtinam ſervitutem retraherent, Deus graviſſimè offenſus, iſtam transgreſſionem non tantùm eis exprobat, ſed ſe graviſſimè vindicaturum minitatur. *Ier. 34. v. 16. Et reverſi eſtis, & commaculaſtis nomen meum, & reduxiſtis unusquisq; ſervum ſuum, & unusquisq; ancillam ſuam, quos dimiſeratis, ut eſſent liberi &c. verſ. 17. vos non audiſtis ME, ut prædicaretis libertatem unusquisq; fratri ſuo & unusquisq; amico ſuo. Ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium ad peſtem & ad famem, & dabo vos in commotionem cunctis Regnis terræ, & dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, ſicut vitulum, quem conciderunt in duas partes &c.* Deus ergò libertatem ſervis ex mandato Domini jam olim conceſſam quidem, ſed mox retractatam, & contra pactum caſſatam, eâdem ſeveritate punivit, quaſi intermiſſionem quietis ſive Sabbatorum terræ, ſeptimo quoque anno ſervandorum, puniturum comminatus, *Levit. 26. v. 34. & 35.* & tandem reipſa exequutus eſt. *2. Paral. 36. v. 21.* Quintò. Veriſimile nequaquam eſt quòd Iudæi, hanc, de manumiſſione ſervorum legem in uſum revocaverint, tempore vel anno, quo ſpecialiter id mandatum non fuit. Hæc lex enim propter quæſtum jam, ſicut apparet, multo tempore contempta jacuit, & in deſuetudinem adeò abivit, ut nec ſeptimo ſervitutis, nec ipſo Jubilæo anno, ſervi ea gaudere potuerint. Et quàm inviti etiam tunc Judæi huic Legi obtemperaverint, manifeſtum eſt, non tantum ex ſubita iſta animorum mutatione, quâ vix dimiſſos

 ſervos

ſervos mox retraxerunt; ſed etiam ex ipſo proceſſu. Cùm enim ultrò & ſua ſponte DEO mandanti obtemperare debuiſſent, ipſi demum ea de re deliberant: cumque nec ſic res ſucceſſura videretur, fœdus coràm DEO (haud dubiè iis, quibus ſanior mens fuerat, ſuadentibus) in domo Domini ineunt, ut non tantum veteri, at ante multa tempora obſoleta, lege obſtricti, ſed jam etiam novo fœderis vinculo conſtricti neceſſariò parere cogerentur. Hæc omnia demonſtrant, pactum hoc de manumiſſione non ſancitum fuiſſe tempore vel anno illegitimo vel extraordinario. Ergò annus iſte, quem Sabbatarium fuiſſe conſtat, ſimul etiam Iubilæus fuit.

3. Vox DEROR, quæ apud Hebræos libertatem in anno Jubilæo ſingulariter proclamandam, quemadmodum Laurentius Codomannus in ſuis Annalibus libr. 3. cap. 21. prudentiſſimè monet, quod Ieremias hoc cap. 34. quarta vice repetit, ſufficienter demonſtrat, Annum hunc Jubilæum fuiſſe. Hæc vox enim in hac, libertatis, ſignificatione, nuſquam alibi uſurpatur, quin Jubilæum denotet. Nempe Levit. 25. v 10 *Sanctificabis annum quinquageſimum, & vocabis (ſive proclamabis) remiſſionem,* (*Deror, Lutherus vertit,* vnd ſolts ein Erlaß Jahr heiſſen/) *cunctis habitatoribus terræ tuæ: Ipſe enim eſt Iubilæus.* Ezechiel. 46. v. 17. eadem vox habetur, verſ. 16. & 17. Oſiander paraphraſticè ſic reddit. *Hæc dicit Dominus DEVS: ſi dederit Princeps* populi mei *donum alicui de filiis ſuis,* (puta prædium, aut aliquam agri portionem,) quod donum fuerat *hæreditas ejus,* (Principis) de proprio ſuo fundo: tùm donum illud *filiorum ſuorum erit: & poſſidebunt* eam portionem *hæreditariè*: id eſt, filius ille, cui pater Princeps fundum aliquem donaverat, retinebit eum, atque ad ſuos poſteros transmittet. *Si autem* dederit *legatum*: rectiùs donum *de hæreditate,* ſeu poſſeſſione ſua, *uni ſervorum ſuorum*: tùm non perpetuò ſervus illum fundum retinebit, ſed aliquando reddet: *eritque illius* (ſervi) tantummodò *uſque ad annum remiſſionis,* id eſt, uſque ad annum Jubilæum, quo, cuique fundi ſui reſtituebantur, Levit. 25. *&* tunc *revertetur* fundus ille *ad Principem,* vel etiam ad ejus legitimos hæredes. *Hæreditas autem ejus filiis ejus erit,* id eſt, filij eam in firma & perpetua poſſeſſione retinebunt. Quo loco, in Hebræo, pro voce Remiſſionis, eſt DEROR. Jubilæum autem ibi ſignificari manifeſtum eſt. Nam filius donatum ſibi fundum non reddit, quia alioqui poſt patris mortem, ille fundus hæreditario jure ad eum deventurus erat: ſed ſervus donatum fundum reddere aliquando debet, quia bonorum abalienatio non debebat eſſe perpetua, reddere autem tenebantur, qui hujusmodi bona poſſidebant, non anno ſeptimo, ſeu Sabbatario ſimplici, ſed Jubilæo. Sic Eſaiæ c. 61. v. 1. *Spiritus Domini eſt*

*ſuper*

*ſuper me, etenim unxit Dominus me ad evangelizandum afflictis, miſit me ad alligandum contritos corde, ad prædicandum captivis Liberationem,* (*Deror*) *& vinctis apertionem carceris.* Quo loco Propheta egregiè ad privilegia Jubilæi alludit, & applicat ad libertatem N. T. à peccato. Quem locum Chriſtus Lucæ 4. de ſeipſo interpretatur, & addit: *Hodiè eſt impleta hæc Scriptura in auribus veſtris,* quaſi dicat, ſe afferre ſuo Evangelio verum Jubilæum, (erat tùm quoque, quandò Chriſtus ibi concionabatur, Jubilæus annus, quemadmodum alibi demonſtramus,) nimirum omnibus in eum credentibus, remiſſionem peccatorum, & reſtitutionem hæreditatis Regni cælorum, &c. Ita hæc vox Ieremiæ cap. 34. quater legitur. *Primò, verſ. 8. Verbum quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, poſtquam percuſſit Rex Zedechias, fœdus cum omni populò in Ieruſalem, prædicans Libertatem,* (*Deror*) *ut dimitteret unusquisque ſervum ſuum, &c Secundò, verſ. 15. Et converſi eſtis vos hodiè, & feciſtis quod rectum eſt in oculis meis, ut prædicaretis Libertatem* (*Deror*) *unusquisque ad amicum ſuum. Tertiò & quartò verſ. 17 Vos non audiſtis me, ut prædicaretis Libertatem* (*Deror*) *unusquisque fratri ſuo, & unusquisque amico ſuo, ecce ego prædico vobis Libertatem* (*Deror*) *ait Dominus, ad gladium, ad peſtem, & ad famem.* Dubium igitur apud nos nullum eſt, quin hoc anno, qui erat 10. Zedechiæ, & 18. Nebucadnezaris, in Autumno, ſive menſe ſeptimo ceperit Annus Jubilæus. Poſt quem, vel ſi rectè computemus, ante cujus finem, nimirùm menſe quarto, anni undecimi Zedechiæ, qui eſt menſis ſecundus, anni 19. Nebucadnezaris, ſive anni ſecundi, Olympiad. 43. atque menſis decimus, hujus labentis Jubilæi, Urbs capta, atque menſe ſequente, templum ſuccenſum, & totus populus in Babylonem abſtractus fuit.

Hinc ab hoc termino Chronologico fundato, patet recurſus & connexio hiſtoriarum, in tempora antecedentia & conſequentia, per 49. annos. Sic enim non tantùm annus 18. Ioſiæ depræhenditur Sabbatarius ſed etiam annus 15. Hiskiæ: annus tertius Ioſaphat, 2. Paralip. 17. annus 15 Aſa, 2. Paralip. 15. annus conſecrati templi Salomonis, &c. ſunt Sabbatarij. Annus verò quo Ioas creatus eſt Rex, 2. Regum 11. deinde annus ſeditionis Abſolonis, contra patrem David, 2. Samuelis. 15. Item, annus Samuelis 21. (poſt annum 20. proximus, 1. Samuel. 7. v. 2.) ſunt Jubilæi. Et ab hoc 21. Samuelis anno, ad annum Jubilæum, ſub Zedechia, ſunt anni 490. atque ab eo retrò, ad primum ingreſſum populi Iſraelitici in terram Canaan, ſunt etiam anni 490. &c. Ita ab hoc proximo ante captivitatem hanc Babylonicam, ſive 10. Zedechiæ anno, ad 18. annum Herodis, quo ipſe templum Ieroſolymitanum renovare cepit, numerantur, ſicut alibi demonſtramus, 588. anni, & ad annum Chriſti 31. ſecundum uſita-

uſitatam numerationem, ſunt anni 637. Ergò uterque horum Jubilæus quoque fuit, &c.

## VII. QUÆSTIO.

### *De principio & fine 70. Annorum captivitatis Babylonicæ.*

1. Vnde initium 70. annorum capt. Babyl. ſumendum.

QUàm variæ, exque inter ſe diſcrepantes ſint opiniones, de hac quæſtione, notum eſt ijs, qui aliorum Chronologorum & Hiſtoricorum ſcripta ſcrutantur, inter quos vix inveniet duos, qui per omnia inter ſe conſentiant, cauſam autem hujus diverſitatis aliam non eſſe puto, quàm inſufficientem præcedentium quæſtionum ab ipſis traditam diſcuſſionem. Nam ſi in eis non hallucinarentur, procul dubio in hâc, minimè aberrarent. Sed videamus.

Fol 47. & ſeqq.

Quæſtione quinta docuimus, Populum Judaicum cum ſuis Regibus quater fuiſſe in Babylonem abductum. Deinde notum eſt, unam harum transmigrationem, quæcunque ea ſit, præ cæteris famoſam eſſe, cujus durationem Ieremias Propheta cap. 25. & 29. prædixit, forè 70. annorum, quam etiam in totidem annos extenſam fuiſſe, Danielis cap. 9. 2. Paralip. ult. Zachar. 1. aſſerunt. Tertiò, dubium nemini eſt, quin hi 70. anni finiti, atque tota iſta captivitas ſoluta fuerit ſub Cyro, ſive anno primo Cyri Regis Perſarum, 2. Paralip. ult. v. 22. Eſdræ 1. v. 1. juxta Prophetiam Eſaiæ 44. v. ult. & cap. 45. v. 1. Horum ergò 70. annorum initium, in aliqua harum transmigrationum, & finem in anno primo Cyri ſcrutemur.

Non à prima.

A prima autem Babylonica captivitate, quâ Manaſſes Hiskiæ Regis Iuda filius, in Babylonem fuit translatus, initium horum 70. annorum non ſumendum eſſe, extra omnem controverſiam eſt. Nam pòſt ipſius reſtitutionem, Populus Iudæorum multo tempore in terra ſua pacificè, Regibus Babyloniorum nec ſubjectus, nec tributarius vixit. Et, temporis Chronologia repugnat, Manaſſes enim, qui poſt reditum plures annos vixit, mortuus tamen eſt ultra annos 100. ante primum Regni Cyri, apud Medos & Perſas initium.

Nec à ſecunda.

Sic nec ab ea, quæ ſecunda fuit captivitas, (quâ Joakim cum magna vaſorum templi parte, & nonnullis ex populo, inter quos etiam Daniel cum ſuis ſociis erat, in Babylonem captivus anno tertio Regni ſui, venit, Daniel. 1. v. 1. 2. Paral. 36. v. 6. & 7.) annos 70. famoſæ illius transmigra-

migrationis inchoandos eſſe, haud difficulter probatur. Nebucadnezar enim anno tertio Regni Ioakim, aſcendit contra Ieruſalem, captumque Regem catenis vinxit, ut in Babylonem eum abduceret, veruntamen eum remiſit: & licet quosdam ex populo cum Daniele in Babylone retinuerit, Regem tamen, qui omnium caput, patriæ reddidit. Tributarium quidem eum fecit, attamen in Regno ſuo dominantem. Quare captivitas illa reipſa fuit interrupta. Unde Rex Ioakim poſt triennium per rebellionem, malè quidem agens, libertati ſe reddidit. Quam libertatis vindicationem Rex Nebucadnezar, dum Ioakim viveret, ei non eripuit. Licet enim exercitum ſive latrunculos, Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum, & Ammonitarum, Dominus in terram Iuda immiſit, ut eam disperderent, juxta Verbum Domini, 2. Reg. 24. v. 2. Ipſe tamen Rex Nebucadnezar, vivo Ioakim, nec in terram Iuda rediiſſe, nec Ioakimum in poteſtatem redegiſſe, multò minus autem in Babylonem abſtuliſſe legitur. Quin, quod ſupra quæſtione quinta docuimus, incertum eſt, an Ioakim in Babylonem unquam venerit. Unde indubitatò colligimus, hanc ſecundam transmigrationem, illis 70. annis non comprehendi. Et hoc idem ex Prophetiæ Ieremiæ verbis cernere licet. Nam Ieremiæ 25. v. 1. 9. & 11. prædicit, quòd Nebucadnezar annis futuris venturus ſit, & populum omnem abſtracturus, atque in Babylone 70. annis aſſervaturus. Facta eſt autem hæc Prophetia anno quarto Ioakimi, quando Rex in Regnum ſuum jam fuerat reductus. Sic cap 29. Ieremias, per literas ſolatur Iechoniam, qui 8. annis, poſt 4. annum Ioakimi, cum magna populi parte, in Babylonem transmigraverat, dicens, captivitatem illam non forè perpetuam, ſed tantùm 70. annorum, attamen nullo verbo ad tempus abducti, vel capti Ioakimi reſpicit. Hinc Ieremiæ ult. recenſetur numerus captivorum Iudæorum, qui partim anno ſeptimo Nebucadnezaris, partim anno 18. partim anno 23. (completo ſcilicet) fuerant in Babylonem translati, ſed primi ejus anni, qui fuit tertius annus Ioakimi, quo Ioakim captus, & catenis vinctus fuit, nulla fit mentio, quem annum Propheta tacitus non prætermiſiſſet, ſi ab eo anni illi 70. numerandi fuiſſent.

Euſebius in Chronicis fol. 52. b. ſcribit: Colligitur omne tempus captivitatis Iudæorum annis 70. qui ſecundùm quosdam, à tertio anno Ioachim, uſque ad 20. annum Cyri Regis Perſarum computantur. Porrò ſecundùm alios à Ioſiæ Iudæorum Regis anno 13. ſub quo Ieremias prophetare cepit, uſque ad annum primum ſupra dicti Cyri Regis. Deſolationis verò templi, ſub Dario Rege, complentur anni 70. Eadem verba Marianus Scotus ad annum mundi 3649. repetit. Verùm an iſta Euſebij veritati congruant, ex dictis judicari poteſt.

Ita Matthæus Beroaldus, qui totus ex abſurdiſſimis abſurditatibus eſt compoſitus, & quidem hoc ſeculo, quo ſicut aliarum ſcientiarum, ita & Chronologici ſtudij lux multò clariùs, quàm olim, exarſit, (antiquioribus, propter temporum injuriam, veniam lubenter concedimus,) libr. 3. Chronicorum, cenſet omninò captivitatis Babylonicæ initium eſſe reponendum in primum annum Nebucadnezaris. At quoniam ipſius omnia alia, quæ ab hoc captivitatis initio, uſque ad Chriſtum paſſum, ſcribit, pertinentia ad rem Chronologicam, ſunt futilia, lectuque indigniſſima: nos ei plura, quàm hîc ſcripſimus, opponere non dignamur.

Ex his ergò concluditur; quòd in alterutram duarum poſteriorum transmigrationum, ſub Iechonia & Zedechia factarum, initium 70. annorum, à Ieremia determinatorum reponendum ſit.

Nec à tertia. Hoc autem loco in diſputationem, propter authoritatem diverſum ſentientium, ſatis difficilem delabimur. Magni enim & eximij non pauci viri, in omni doctrinarum genere præſtantiſſimi, atque in rebus Chronologicis valdè conſpicui iique, qui & ipſi ſingulari induſtria diligentiq́ue perſpicacitate, hanc quæſtionem ponderarunt, quin & propter inſignem ſacræ Scripturæ cognitionem, de Eccleſia optimè meriti, in ea ſententia toti ſunt, quod ſcil. verum initium annorum 70. captivitatis Babylonicæ à transmigratione Iechoniæ, hoc eſt, à tertia captivitate numerandum ſit. Et quidem nullum aliud præter hoc principium quærendum eſſe, ex ipſa Ieremiæ Prophetia neceſſariò evinci poſſe videtur. Propheta enim cap. 29. literas ex Ieroſolymis Babylonem ad Regem Iechoniam, & omnes, qui ipſius ſuaſu in voluntarium exilium egreſſi ſunt, & fidei Nebucadnezaris ſe commiſerunt, mittit, quibus literis eos conſolatur, quòd non in perpetuum à Domino ſint abjecti, ſed quòd DEUS eos poſt 70. annos certò in patriam ſit reducturus. *Hæc inquit, dicit Dominus exercituum DEVS Iſraël, omni transmigrationi, quàm transtuli de Ieruſalem in Babylonem, ædificate domos & habitate, &c. Quia hæc dicit Dominus. Cùm cœperint impleri in Babylone 70. anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum iſtum, &c.* Quis quæſo ex hoc loco Prophetæ initium horum 70. annorum alibi ſumendum putaret, quam à trànsmigratione eorum ipſorum, ad quos literas has conſolatorias Propheta ſcripſit?. Equidem hic videtur eſſe ſenſus Prophetæ: Eſtote patientes, vos enim, quos ego Dominus DEUS veſter, feci transmigrare in Babylonem, à me non abjecti eſtis, quemadmodum tempore Hiskiæ cæteras 10. tribus Iſrael abjeci, quos nunquam ſum in paternum ſolum reducturus. Nam vos ego poſt 70. annos viſitabo, & reducam in hunc locum. Interim verò nolite veſtris falſis Prophetis

fidem.

fidem habere, quaſi vel in perpetuum ſitis abjecti, vel ante hoc tempus à me determinatum redituri. Vobis enim tempus præfinitum eſt à me annorum 70. &c.

Deinde magnum etiam hoc eſt argumentum, quòd Ezechiel, qui & ipſe cum Iechonia exulare cepit, annos captivitatis ſuæ, ſuorumque conſortium, ab hoc exordio computat, quemadmodum ſupra quæſtione quinta diximus. Quis hîc non putaret Ezechielem, ubi in Babylone audiverat, totius Exilij durationem à Ieremia definitum fuiſſe, forè annorum 70. jam tum ſtatim, ex inſtinctu Prophetici ſpiritus indicare voluiſſe, unde nam illorum 70. annorum numeratio ſit inchoanda, atque ſic ejuſdem numerationis continuationem præſcripſiſſe?

Etſi autem authoritatibus tantorum virorum, qui his duobus argumentis perſuaſi, captivitatis Babylonicæ 70. annos, ab abducto Iechonia Rege, & Ezechiele Propheta incipiendos exiſtimant; valdè invitus ſim adverſus: ſi tamen diligenter omnia, quæ hac diſputatione conſideranda ſunt, inſpiciamus, eorum ſententiæ ſubſcribere non poſſumus, ſed ipsâ rei veritate compulſi, neceſſariò ſtatuere compellimur; 70. illorum annorum numerationem, à quarta captivitate cum Zedechia abducto, templo deſolato, & Regno Hebræorum everſo, ſive in patria terra, ad tempus aliquod ſuſpenſo, auſpicandum eſſe. Sed à quarta

Confitemur ſanè verba Ieremiæ, cap 29. primo intuitu ſonare, ac ſi de Iechoniæ transmigratione accipienda eſſent: Verùm nos pro vero horum verborum, & Prophetiæ ſenſu enucleando dicimus, Regulam, apud omnes ſacrarum literarum, præſertim Propheticorum Scriptorum interpretes uſitatam, retinendam & ſequendam eſſe, qua dicunt: Veram omnium vaticiniorum, & Prophetiarum interpretationem, ab earum eventu, & impletione petendam eſſe. Eventum enim ubicunque is haberi poteſt, eſſe menſuram vaticiniorum. Hac Regula neglecta, ſæpenumero ex verbis Prophetiarum longè alienus à veritate ſenſus colligitur. Hinc Iudæi adhuc hodiè Regnum Meſſiæ mundanum forè ſomniant, dum Scripturam, de hoc Regno loquentem, non cum eventu vero comparant. In eodem errore ſancti Apoſtoli, uſque ad Chriſti aſcenſionem hæſerunt.

Sic hac quæſtione pro diſcernenda vera ſententia ab erronea opinione, ad eventum confugiendum cenſemus. Porrò quod ipſe eventus, initium horum 70. annorum, non in tertiam transmigrationem, qua Iechonias abductus eſt, ſed in quarta, qua cum Zedechia capto, temploque & urbe vaſtatis, totum Regnum Iudæorum fuit ſublatum, reponat, demonſtratur, 1. apertiſſimis ſacræ Scripturæ teſtimonijs. 2. Indubitata

Chronologica argumentatione, eàque certis ejusdem ſacræ Scripturæ teſtimonijs comprobatâ.

De eventu hoc, absque omni ambiguitate, loquitur Daniel, cap: 9.
Fol. 29. v. 1. *Anno uno (vel primo) Regni ejus (Darii Medi, quem ſupra demonſtravimus, fuiſſe Nabonnidum,) ego Daniel intellexi in libris, numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam Prophetam., ut complerentur deſolationis Ieruſalem 70. anni*; vel juxta aliam verſionem: *quod impleret deſolationibus Ieruſalem 70. Annis.* Lutherus ſic vertit: Daß Jeruſalem ſolt 70. Jahr wüſt ligen. Græcus textus apud 70. Interpretes habet: ἐν ἔτει ἑνὶ τῆς Βασιλείας αὐτοῦ, ἐγὼ Δανιὴλ συνῆκα ἐν ταῖς βίβλοις, τὸν ἀριθμὸν, τῶν ἐτῶν, ὃς ἐγενήθη λόγος Κυρίου πρὸς Ιερεμίαν τὸν προφήτην εἰς συμπλήρωσιν ἐρημώσεως Ιερουσαλὴμ ἑβδομήκοντα ἔτη, hoc eſt; *In anno uno Regni ejus, ego Daniel intellexi, ex libris Annalium, quomodo factus ſit ſermo Domini ad Ieremiam Prophetam, implendos eſſe vaſtitatis Ieruſalem 70. annos. Sic 2. Paralip. ult. Incenderunt (Chaldæi) hoſtes domum DEI, deſtruxerunt muros, &c. ut compleretur ſermo Domini, ex ore Ieremiæ, & celebraret terra Sabbata ſua. Cunctis enim diebus deſolationis egit Sabbatum, usque dùm complerentur 70. anni, vel omnibus diebus, quibus deſolata fuit, quievit, ut complerentur 70. anni:* Dann die gantze Zeit / vber der Verwüſtung / war Sabbath / biß daß 70. Jahr voll wurden. His teſtimonijs clariſſimè patet, quòd Urbs Ieroſolyma totos 70. annos vaſtata & deſolata fuerit, & quòd terra totos 70. annos quieverit, ſuaque Sabbata, pluribus ſeculis intermiſſa, uno continuo 70. Sabbato peregerit. His verbis, etiam innuitur ſicut Beda, & ex eo Hermannus contractus, ad annum Mundi 3389. monent, (quod obiter attingendum etiam eſſe cenſuimus) quòd Chaldæi in Iudæam vaſtatam non, ut Aſſyrii, in Samariam, alios miſerint colonos, ſed deſertam reliquerint terram, donec ipſi Iudæi poſt 70. annos in eam redirent. At templum deſtructum fuit, & Urbs vaſtata, ejusque mœnia diruta, atque totum Regnum everſum, non eo tempore, quo Iechonias fuit abductus, ſed anno undecimo Zedechiæ, non anno octavo, ſed decimo nono Nabuchodonoſoris. Nam à Iechoniæ transmigratione, Regnum Hebræorum ſatis tranquillo ſtatu, (præter incurſationes quasdam) uſque in undecimum annum manſit, adeò ut Zedechias auſus fuerit, Regi Babyloniorum tributa, religione Jurisjurandi promiſſa, negare, eâ nimirum ſpe fretus, ſe jugum ejus ſimpliciter eſſe excuſſurum.

Ex hac ergo plana & liquida eventus determinatione manifeſtum eſt, quòd eodem ſenſu verba Jeremiæ ſint accipienda. Et, ne putemur, hunc ſenſum Jeremiæ affingere, Ipſum Jeremiam optimum ſui ipſius interpretem audiamus. Is cap. 25. diſertè hos 70. annos ad ultimam captivitatem anne-

annectit, quam non Judæi tantum, ſed etiam omnes vicinæ gentes pariter ſint ſenſuræ. Loquitur autem ibi, de qua re nemo dubitat, de ultima transmigratione. Inde conſolaturus populum ſuum, ſubjicit, Dominum eos poſt 70. annos reducturum eſſe. Quare illi 70. anni ab ultima transmigratione quoque numerandi ſunt. Ita illa ipſa verba Jeremiæ *cap. 29.* quibus exiſtimatur Propheta hos 70. annos ad Jechoniæ transmigrationem alligare, ab hoc eodem ſenſu non aliena eſſe facilè patet, ibi enim poſt 70. annorum determinationem, Propheta mox ultimam urbis vaſtationem annectit, quare eodem etiam illi 70. anni ſunt referendi. Senſus ergò Prophetæ eſt: Eſtote patientes, & quærite ſalutem urbis Babyloniæ, non enim ſperare poteſtis, vos brevi eſſe reverſuros, quin imò captivitas illa, nondum eſt conſummata. Vos autem meliori loco eſtis, quàm qui in urbe Hieroſolymorum remanſerunt. Nam & ipſi poſt aliquot annos miſerè abducentur. Veruntamen Deus populum ſuum non finaliter abjiciet, ſed à conſummata captivitate poſt 70. annos iterum viſitabit. Et hic ſenſus multò clariùs eluceret, ſi, quemadmodum in tota ejus Prophetia, pro capitum (ſecundum ſeriem temporum) diſtributione, multa capita, capitumq; ſegmenta transponenda ſunt, ita etiam in hoc 29. c. quorundam verſiculorum transpoſitio fieret. Vel ſi ille contextus non pro una, ſed pro fragmentis duarum vel plurium, diverſis temporibus habitis concionibus, aut ad Iudæos ſcriptis Epiſtolis, acciperetur. Sed de hoc alibi. Et ut omne dubium tollatur, Propheta cap. 1. ſeipſum planiſſimè interpretatur, ſimulque certum initialem terminum hujus ſeptuagenariæ captivitatis definit his verbis: *Verbum Ieremiæ &c. ad quem factum eſt verbum Domini, in diebus Ioſiæ, Filij Ammon, Regis Iuda, in 13. anno regni ejus: Factum eſt præterea in diebus Ioachin Filij Ioſiæ Regis Iuda, uſq; ad conſummationem undecimi anni Sedechiæ Filij Ioſiæ Regis Iuda, uſq; ad transmigrationem Ieruſalem, menſe quinto.* En Propheta primarias res ſuas geſtas numerare incipit ab anno 13. Ioſiæ, & extendit tantùm uſque ad transmigrationem Jeruſalem, factam anno 11. Zedechiæ menſe quinto *2. Reg. ult. verſ. 8.* anno 19. Nebucadnezaris *Ier. 52. v. 12.* cùm tamen ipſe aliquandiu etiam poſt vixerit. Nam poſt Nebucadnezaris diſceſſum, poſtquam urbem & Templum deſtruxiſſet, raptus fuit in Ægyptum *Ier. 43. v. 6.* ubi obiiſſe fertur. Nihilominus tamen, hoc ceu principali limite contentus eſſe voluit, cujus cæteræ transmigrationes tantummodò quaſi præludia fuerunt.

NB.

NB.

Quod ſi quis objiciat. Conſolationem Prophetæ Jeremiæ quâ cap. 29. Jechoniam, & qui cum ipſo in Babylone vixerunt, de futuro aliquando reditu ſolatur, hoc modo nimis fore abſurdam, cùm eam definiat

annis 70. qui in rei veritate 80. fuerint. Nos præter ea, quæ diximus reſpondemus: utut ea videatur, ea tamen Scripturæ Sacræ & quidem ipſi quoque Prophetæ Jeremiæ, non eſt inuſitata: Nam eorundem 70. annorum meminit idem Propheta cap. 25. in anno 4. Joakimi, qui eſt annus 1. Nebucadnezaris, licet eorum initium, modò poſt 18. annos ſubſequuturum fuerat. Sic *Dan.* 9. Prophetia eſt de 70. hebdomadibus ſive 490. annis, qui anni, ut infra demonſtrabimus, incepturi erant poſt annos 159. Quare ſi ſimile quid hîc quoque fiat, non mirabimur.

Huic ſententiæ aſtipulantur etiam Joſephus & Philo Judæi. Joſephus enim lib. 10. cap. 11. & lib. 1. c. 1. Antiquit. Item lib. 1. contra Apionem, hos 70. annos à vaſtata urbe numerat. Philo in libello, qui Breviarium vocatur ſic habet. Mox liberato Heri (Joacim vel Jechonia) datus eſt à DEO Filius Meſezebel cognomento Salathiel, qui anno 17. ante ſolutionem captivitatis (genuit) Barachuam, qui anno 17. (ætatis) ſoluta captivitate dux populi fuit, & ab eo ducatu dictus eſt Zerobabel, anno à tranſmigratione (ſc. Jechoniæ) 81. & deſolatione 70. Iulius Africanus (teſte Beda de 6. ætatibus, ætate quinta) ab everſione Hieroſolymorum ad initium Cyri numerat quoque 70. annos. Eam ſententiam Beda quoq; ſequitur. Hujus etiam meminit Hermannus Contractus in Chronicis ad annum Mundi 3413.

2. De fine 70. Annorum refutatur ſententia Euſebii.

Dato ergo & demonſtrato principio annorum 70. captivitatis Babylonicæ, de fine ſeu anno 70. non dubitari poteſt. Urbs autem capta eſt & Templum exuſtum (ſc. ut in fine quæſtionis quintæ diximus) anno 11. Zedechiæ, die 9. Menſis quinti, qui eſt annus 19. Nebucadnezaris, h. e. circa vel non multum poſt initium anni 2. Olympiad. 43. quod initium cecidit in menſem Iulium anni 607. ante Chriſtum. Hinc numerati anni 70. finiuntur cum fine anni 3. vel circa initium anni 4. Olymp. 60. h. e. circa æſtatem 537. ante Chriſtum.

Sicut autem diverſa à diverſis ponuntur principia 70. annorum Babylonicæ captivitatis, ita finem eorundem annorum alii aliò referunt. Euſebius in Chronicis, hos 70. annos incipit quidem ab 11. anno Zedechiæ templique exterminio, quod temp⁹ tamen non in 43. Sed 47. Olymp. reponit, ſicut ſupra in fine quæſtionis quintæ diximus. At finem eorum annorum connectit cum ſecundo anno Darii Hiſtaſpis, ſuæque hujus ſententiæ aſtipulatorem allegat Clementem in Stromatis. Anno Mundi 4610. Sententiæ, inquit noſtræ (quòd 70. hi anni incipiendi ſint, ab anno 11. Zedechiæ) etiam Clemens congruit in I. Stromatum 47. Olympiade Captivitatem Iudæorum factam eſſe conteſtans: & ſupputari 70. annos deſolationis Templi uſque in ſecundum annum Darii. Et anno Mundi

Mundi 4654. Colligitur omne tempus captivitatis Iudæorum annis 70. Ex mox- Deſolationis verò Templi ſub Dario Rege complentur anni 70. Et ad annum 4680. Clemens quoq; his congruit in primo Stromate, ita ſcribens: Et perſeveravit captivitas annis 70. uſque ad ſecundum annum Darii Filii Hiſtaſpis, qui Perſis, Aſſyriis, & Ægypto regnavit, ſub quo Aggæus & Zacharias, & unus de 12. qui vocatur Angelus, Prophetarunt, ſacerdotioq; functus eſt Iesus Filius Ioſedech. Hæc ſupra dictus vir. Malachias.

Quod autem 70. annus deſolationis Templi altero anno Darii fuerit expletus, domeſticus teſtis eſt Zachiarias Propheta. Secundo anno Darii, dicens: *Domine Omnipotens (exercituum) quousq; non miſerebris Ieruſalem, civitatibus Iuda, quas reſpexiſti (quibus iratus es) Iſte 70. annus eſt.* His Beda de 6. ætatibus Mundi, & ex ipſo Herm. Contractus, ad annum Mundi 3432. addit, tanquam etiam ex Euſebio tranſcripta; Item quarto Darii Regis anno dicit Propheta, *cum jejunaretis & plangeretis per hos 70. annos, nunquid jejunium jejunaſtis mihi?* Sexto Darii anno Templi ædificatio completur, die 3. menſis Adar, qui eſt 46. annus ex quo ejus ſub Cyro fundamenta jacta ſunt. Unde in Evangelio dicunt Iudæi: *40. & 6. annis ædificatum eſt Templum hoc:* cœperunt autem ædificare, anno ſecundo Darii, menſe ſexto, die 24. & anno ſexto, ut dictum eſt, menſe 12. die 3. compleverunt. Ex quo apparet, opus Templi & antea non parva ex parte peractum, annos autem 70. à deſtructione illius uſque ad perfectam reſtaurandi licentiam eſſe computandos. Euſebius ergò hos 70. annos finiri ſtatuit in ſecundo Anno Darii Hyſtaſpis, quorum 30. priores computat uſque ad regnum Cyri, poſteriores 40. autem à primo anno Cyri ad 10. annum Darii Hyſtaſpis.

Huic autem Euſebii ſententiæ aſtipulari non poſſumus. Nam 1. 1. Interſtitium inter Nebucadnezarem, ejusque annnum 19. atque Cyrum, demonſtravimus ſuprà, eſſe majus, quàm Euſebius præſupponit, Quæſtione enim prima demonſtravimus Nebucadnezarem, qui Ptolomæo eſt Nabopollaſarus, regnare cepiſſe anno 4. Olymp. 38. h. e. ante Chriſtum anno 625. labente. Deſtruxiſſe autem Templum anno 2. Olymp. 45. h. e. ante Chriſtum anno 607. At Cyrum victo Aſtyage avo, cepiſſe regnum Perſarum anno 1. Olymp. 55. h. e. ante Chriſtum anno 560. Ergò inter initium captivitatis Babylonicæ, & Cyrum interſunt anni 47. pro quibus Euſebius 30. numerat, præjudicium potius, quàm juſtum Chronologicum ſecutus calculum, ut 70, totius captivitatis annos in ſecundo Darii Hyſtaſpis anno terminare poſſit. 2.

2. Quæſtione quarta probavimus, quòd Cyrus Babylonem non mox in principio Regni ſui ceperit, ſed anno tertio h. e. circa initium 3. anni Olymp. 55. ante Chriſtum 558. Hinc

Hinc; ſequitur, Cyrum nec primo Regni ſui anno, ante occupatam Babyloniam, nec etiam mox poſt eam captam, libertatem Hebræis conceſſiſſe, ſed ut mox patebit, demum poſt 21. annos.

4. 4. Locus Zachariæ 1.c. malè ex Hebræo redditus, Euſebium decepit. Ubi enim latinus interpres habet, iſte jam ſeptuageſimus annus eſt: Græcus textus etiam ſecundum 70. Interpretes, legit: *κύελε παντοκράτωρ, ἕως τίνος οὐ μὴ ἐλεήσης τὴν ἱερουσαλὴμ, καὶ τὰς πόλεις ἰούδα, ἃς ὑπερεῖδες: Τοῦτο ἑβδομηκοστὸν ἔτος. Domine omnipotens, quousq; non miſereberis Ieruſalem, & urbium Iuda, in quibus connives? hic eſt ſeptuageſimus annus.* Ibi ex Hebræo verba ſic convertenda ſunt. Domine exercituum, quouſque non miſereberis Jeruſalem, & urbium Juda, quibus jam 70. annos iratus es? Senſus ergò non eſt, quod eo tempore, quo angelus, apud Prophetam hæc dixit, annus ſeptuageſimus captivitatis demum fuerit finitus. Sed Angelus cum Domino quaſi expoſtulat, cur non vel tandem populum ſuum reſpiciat, etſi enim 70. anni, quos per Ieremiam olim præfiniverat, quibus iram ſuam adverſus Hieroſolymam determinare velit, jam dudum ſint completi. ipſum tamen Dominum adverſus eoſdem iram ſuam nondum depoſuiſſe, quia nec dum reſtaurati ſint muri Hieroſolymorum, Templumq; Domini &c. quaſi dicat Jch meyne ja/ es ſollen die 70. Jahr nunmehr wol fürvber ſeyn. Eadem ſententia eſt Zachariæ 7. cap. cùm, inquit Dominus, per totos illos 70. annos, quibus in Babylone fuiſtis jejunaretis quinto & ſeptimo menſe, num ne mihi jejunaſtis? &c. Falſo ergò præjudicio ex mala verſione concepto corruente, tota ſtructura corruit.

5. 5. Annos ſtructuræ Templi 46. Joan. 2. Euſebius malè hûc pertrahit (quem tamen errorem, multi alii magni viri quoque imitantur) Nam à ſecundo anno reditus populi Iſraëlitici ex Babylone, quo Templi fundamenta poſita fuerunt, uſque ad ſecundum Darii hujus annum interſunt anni tantum 15. Quin etiam ſi (ex ſuperabundanti) ad illam Templi ſtructuram omnes totius Imperii Cyri annos nimirum 30. connumerare vellemus, eiſq; annos 8. cambyſis, & annos 6. Darii Hyſtaſpis ad completam extructionem, adderemus, nondum tamen inveniemus annos 46. ſed tantùm 44.

6. Verùm 6. præcipuus ille error, ex quo cætera omnia promanarunt apud plurimos, atque ſic etiam apud Euſebium, obtinuit, quaſi, quæ apud Eſdram, Aggæum & Zachariam leguntur, ea de Dario Hyſtaſpis Filio intelligenda ſint, cùm tamen ſicut Quæſtione octava demonſtrabimus, is ſit Darius Nothus. Unde Templi ſtructura intra 46. annos abſoluta non fuit, ſed à ſecundo anno Cyri, ad ſecundum Darii Nothi

per

per totos 114. annos impedita, poſt verò intra quadriennium completa. Illi autem 46. anni alterius loci & temporis ſunt, quemadmodum alibi (de Regno & rebus geſtis Herodis) demonſtramus.

De hac Euſebii computatione Vincentius in ſpec hiſt. lib. 3. c. 15. Sic ſcribit: Ideo in tertio anno Cyri egreſſi ſunt Zorobabel duce, Jesu magno ſacerdote, adhortantibus eos Zacharia Propheta, & Aggæo juvene, ſed nondum Propheta. (& mox) Hic eſt annus 70. relaxandæ captivitatis, quem prædixerat Ieremias, Nam & Hieronymus primum annum Cyri dicit fuiſſe ſeptimum ultimæ Decadis. Itaque tertius annus Cyri fuit 70. cui conſonat Joſephus. Et hæc opinio magis certa eſt, & plurimum Authoritatibus ſancita. Cui tamen Euſebius in Chrònicis obloqui videtur: ſecundum annum Darii Filii Hiſtaſpis dicens fuiſſe 70. ſecundum authoritatem Zachariæ, qui ſecundo anno Darii ſcribens, audivit virum ſtantem inter myrteta, dicentem; *Domine exercituum, usq; quo tu non miſereberis Hieroſolymæ, & urbium Iudæ, quibus iratus es? iſte tamen 70. annus eſt.* Videtur autem Euſebius diſtinguere inter 70. annos captivitatis, & 70. deſolationis Templi, dicens: 70. anni captivitatis ſecundum quoſdam computantur ab anno Ioſiæ Regis 13 ſub quo Jeremias Prophetare cepit, uſque ad primum annum Regis Cyri, ſecundùm alios verò à tertio anno Elyachiam, uſque ad 20. annum Cyri. Reſtaurationis verò Templi ſub Dario Rege complentur anni 70. Clemens quoque congruit in primo Stromate, ſcribens: *Et perſeveravit captivitas annis 70. usq; ad ſecundum annum Darij Filij Hiſtaſpis.* Sed prior opinio (ut dixi) magis certa eſt, Sola Zachariæ authoritas nos movet: quæ ita fortè determinari poteſt, ut jam accipiatur de præterito, quaſi dicat 70. annus iſte eſt, notus ſcil. & famoſus, jam diu eſt: vel fortè dictus eſt in Zacharia 70. annus non captivitatis, ſed quintæ ætatis, quæm ſecundùm Hebræos inchoavit anno 30. ante Cyri Monarchiam. Vides in quam intricatas difficultates neglectus fundamentorum Chronologicorum, & veræ horum limitum inquiſitionis, hos magnos viros abduxerit, à quibus immunes manſiſſent, ſi verum initium Nebucadnezaris, atque cæterorum Regum Babylonicorum uſque ad Cyrum, atque quisnam ille Darius fuiſſet, inveſtigaſſent.

Plerorumque Chronologorum, ſacræque Scripturæ interpretum communis opinio eſt, Cyrum, coadiutore Dario Medo, capta Babylone, occidiſſe Balthaſarum ſive Belſazarum Regem Dan. 5. atque tùm mox Iudæorum captivitatem ſolviſſe. Itaque ſicut primus Cyri annus ſit primus libertatis Iudæorum annus: ita ultimum Belſazari eſſe 70. captivitatis annum. His Hebræi quoque conſentiunt. De quibus Hierony-

mus in expoſitione Prophetæ Danielis ( ſicut Beda, & ex eo Hermannus Contractus in annum Mundi 3389. item Vincentius in Spec. hiſt. lib. 3. c. 10. referunt ) ſcribit, quòd narrent ( Hieronymus fabulam vocat ) cùm Balthaſar intellexiſſet 70. annos captivitatis, à Ieremia prædictos effluxiſſe, ipſos tamen à ſua Jurisdictione nondum eſſe liberatos, ipſe irritam putans DEI pollicitationem, falſumque promiſſum, verſus eſt in gaudium ſuisque diis gratias egit, & grandi convivio facto, Iudæorum ſpei, & vaſis Templi inſultavit. Sed eum ultio ſtatim eſt conſequuta, &c. Vinc. addit, ſanè ſeptuagena illa annorum nondum effluxerant, ſed ſeptima decas jam currebat. Suavis eſt hæc fabula, & forſan à veritate non omninò aliena. Nimio enim Sarcaſmo Belſazer Iudæis illuſit, ſacra vaſa ex Hieroſolymorum Templo deprædata, deportari faciens in convivium ſuorum optimatum, uxorum, & concubinarum. Verùm eum annum nondum fuiſſe ſeptuageſimum, ex quæſtione ſecunda certum eſt. Hic enim Balſazer non à Cyro, capta urbe occiſus eſt ſed per conſpirationem ſuorum, demum rebus extrà pacatis fuit interemptus. Atque poſt eum Darius Medus 17. annos regnavit, antequam Cyri nomen Babylonis innotuit.

*Vera ſententia adſtruitur.* Verùm detortis his, contortisque & coactis locorum explicationibus, atque ſubtilibus ſcrupuloſitatibus omnibus abjectis, ipſos annorum numeros hactenus inventos & demonſtratos intueamur, qui cùm ſint planiſſimi, ab omni errore ſublevabunt. Quæſtione prima demonſtravimus, initium Regni Nebucadnezaris Magni coincidere cum initio anni 4. Olymp. 38. ante Chriſtum anni 624½. Hinc ut ſupra hac quæſtione ſeptima vidimus, anni ejus 19. principium, quo deſolato templo captivitas 70. annorum cepit, incidit in initium anni 2. Ol. 43. ante Chriſtum anno 606½. Ergò 70. illorum annorum finis incidit in principium anni 4. Olymp. 60. in annum ante Chriſtum 536½. At Cyrus regnare cepit in Perſide, anno 1. Olymp. 55. ante Chriſtum annis 559½. & regnavit uſque ad 3. annum Olymp. 62. ante Chriſtum 529½. annum. Ibi enim Cambyſes Filius in Regno ſucceſſit. Cùm igitur Cyrus tàm ante, quàm poſt finitam captivitatem illam imperaverit, nimirum 23. annos ante libertatem Judæis conceſſam, & inde 7. annos ad vitæ finem, luce meridiana clarius eſt, quòd illi 70. anni nec in Belſazare, nec in Dario Hiſtaſpis Filio, nec in ipſius Cyri primo Regni Perſici, anno poſtquam vicit Aſtyagen, nec ejuſdem anno tertio, quo Babylonem cepit, finem ſuum ſint conſequuti, ſed illo ipſo anno, à quo, ut ſuprà, quæſtione 3. diximus, alterum principium Regni ejus, 2. Paralip. ult. & pluribus locis in Eſdræ libro, nec non cap. 1. verſ. ult. Dan. numeratur, & primus

*fol. 6.*

*fol. 70.*

mus annus Cyri vocatur. Et idipſum clariſſima verba, totusque contextus. 2. Paral. ult. evincunt. Ibi enim verſ. 22. 70. annis deſolationis Templi completis, mox ſubjicitur: *Anno autem primo Cyri Regis Perſarum, ad explendum Sermonem Domini, quem loquutus fuerat per os Ieremiæ, ſuſcitavit Dominus Spiritum Cyri Regis Perſarum &c.* Igitur qui hîc dicitur primus annus Cyri, eſt poſt finitos 70. captivitatis annos, primus, quo Judæis in patriam redeundi libertas fuit conceſſa.

Et uſque ad hunc annum vixiſſe Danielem Prophetam credibile eſt. Dan. 1. verſ. ult. Certè Daniel, etſi illum lætum, ſibique tantoperè deſideratiſſimum annum attigit, cum cæteris tamen in patriam exoptatiſſimam reverſus non legitur: Erat autem hoc primo Cyri, vel redditæ à Cyro libertatis anno, haud multò minor, ſi modò non major, centenario. Nam à tertio anno Ioakim, quo Daniel in Babel abductus fuit, ad primum hunc libertatis annum, ſunt anni 89. At ipſum decennio minorem fuiſſe, cum abduceretur vix credibile eſt. Nam ſecundo anno Regni Nebucadnezaris, Daniel propter ſomnii interpretationem in magnam apud Regem venit exiſtimationem. Dan. 2. (Epiphanius & Iſodorus ſcribunt eum Babyloniæ eſſe mortuum, annorum 110. & inter Regum monimenta honorificentiſſimè ſepultum. Im Bibliſchen Namenbuch).

Præmiſſæ huic ex Sacra Scriptura deſumptæ demonſtrationi de principio & fine 70. annorum captivitatis Babylonicæ, egregiè conſonat quoq; calculus Chronologicus, confirmatus & ipſe 3. literarum Authoritate.

Demonſtravimus quæſtione quarta, urbem Babyloniorum à Cyro captam eſſe annis 49. poſt vaſtatam Hieroſolymorum urbem. Reſtant ergò ad libertatem à Cyro Iudæis conceſſam anni 21. Porrò in hujus numeri poſitione, propè nullum Chronologum habebimus conſentientem. Plerique enim, primum urbis Babylonicæ captæ annum, primum etiam libertatis annum dicendum eſſe exiſtimant. Verùm ſi circumſtantias & res geſtas, probè, prout hiſce quæſtionibus fieri convenit, expendamus, rem profectò longè aliter ſe habere deprehenditur. Nam 2. Paral. ult. Et Eſdræ 1. Mandati Cyri, quo Iudæis permiſſam libertatem omnibus Regni ſui ſubditis promulgat, verba ſic habent. *Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum, OMNIA Regna terræ dedit mihi Dominus (Iehova) DEVS Cœli: & ipſe præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Hieruſalem, quæ eſt in Iudæa. Quis ex vobis eſt, de univerſo populo ejus? ſit Dominus (Iehova) DEVS ſuus cum eo. Aſcendat in Hieruſalem, quæ eſt in Iudæa, & ædificet domum Domini (Iehovæ) DEI Iſraël. Ipſe eſt DEVS*

fol. 46.

*qui eſt in Ieruſalem. Et omnes qui reliqui ſunt in omnibus locis, ubi hactenus habitarunt: hos adjuvent cives loci illius, argento, auro, divitijs & jumentis, idq; faciant promptè, ad domum Dei, quæ eſt in Hieruſalem.* Ex hoc edicto, & quæ ſequitur Exequutione, manifeſtiſſimè patet, Cyrum, quando Judæis captivitatem relaxabat, in pace & tranquillitate, devictis & ſubjugatis omnibus hoſtibus vixiſſe. Proteſtatur enim ſe à DEO jam Monarcham orbis terrarum conſtitutum eſſe, & huic DEO, qui unus eſt, & verus DEUS, DEUS Hieroſolymitanorum, nomine gratitudinis ſpondet, per ſuos Prophetas poſtulatam reſtaurationem ſui Templi in Hieroſolymam. Ideò omnes Judæos, tanquam cultus illius conſcios, ſeriò ad opus illud perficiendum cohortatur, cæteris autem mandat, ut operantibus adſint omnibus rebus neceſſariis, auro, argento, jumentis, & quibuscumque indiguerint rebus. Ex his omnibus Regnum Cyri fuiſſe tum pacatum, indubitata ratiocinatione colligitur. Nam Rex nullis bellis impeditus iſta mandat, à nemine tàm Judæorum, quàm vicinarum gentium inobedientiam aut rebellionem veretur: itinera, quibus & Judæi, & vaſa Templi, quæ ante 70. annos à Nebucadnezare deprædata, ipſe cum reverentia reddit, ut iterum Hieroſolymam tranſportentur: infeſta & hoſtili manu itinera obſeſſa fore, non metuit: nihilq; minus cordis ejus cogitationibus ſubit, quàm quòd populus terræ illius, mandato ejus refragando, ſit extructionem illam impediturus. At quod non tantum ex Xenophonte & Herodoto, ſed etiam Juſtino & aliis notum eſt, Cyrus multa & magna bella geſſit, ad quæ conficienda, ipſi non unus, duo vel 3. anni ſufficere potuerunt, donec tandem dicere poſſet: Dominus DEUS Cœli omnia Regna terræ mihi dedit. Nam annos 40. ut Cicero teſtatur, natus, Medorum Regnum Perſis ſubiecit, anno ſcil. 1. Olymp. 55. qui antea non niſi Perſarum dux erat, & unà cum Perſis Medorum Regi parebat. Inde verò Aſtyage devicto, & Medorum Regno ad Perſas translato, Imperium dilatare cepit, donec Monarcha orbis appellaretur. Initio enim civitates aliæ, eò uſque Medis tributariæ, mutato Imperio, ſuam conditionem, ut Juſtinus ait, mutatam arbitrabantur, ideoq; à Cyro defecerunt. Quæ res multorum bellorum cauſa & origo fuit. Pleriſq; autem eàrum domitis, anno ut ſupra in fine 4. quæſtionis computavimus, tertio, Regni
fol.46. Perſici, Babyloniam adortus cepit: Nabonnidum, qui Darius Medus eſt, regno exuit. Inde bellum in Lydiam, adverſus Cræſum, Babyloniis opem ferre volentem tranſtulit, Sardeis autem victor ingreſſus eſt anno 4. Olymp. 57. vel anno 1. Olymp. 58. (h. e. circa finem illius, aut initium
fol.43. hujus anni) ut Euſebius & Solinus) quod ſupra etiam diximus) teſtan-

teſtantur. Ita plures annos inſumpſit donec omnem ſuperiorem & inferiorem Aſiam ſubegit. Interea verò veriſimile non eſt, Cyrum, bellicis negotiis diſtrictum, curam Judæorum captivorum agere voluiſſe, antequam pacatis rebus in ocio de Religione & cultu eorum edoceretur. Xenophon ſanè lib 7. pœdias Cyri refert, Cyrum omnibus, qui Syriacè loqui ſcirent edixiſſe, ut intra domos manerent, qui verò extrà caperetur morte plecteretur. Judæos ipſum intelligere non eſt dubium. Verùm, an hac gratia Judæos initiò complexus ſit, valdè dubito, ſicut nec iſtud verum eſſe, ex Beroſo & Megaſthene patet, quod Xenophon ait, Regem Babyloniorum à Gadatæ & Gobryæ, Cyri Ducum, militibus eſſe occiſum: cum hi teſtentur Nabonnidum Carmenienſi præfectura fuiſſe à Cyro donatum, cui etiam ad dies vitæ præfuerit. At quando Cyrus meliora edoctus, Judæis reditum in patriam permiſerit, ex Dan. cap. 10. apertè cernitur. Anno enim tertio Cyri Regis Perſarum Daniel lugebat, orans diebus trium hebdomadarum h.e. 21. diebus. Audit autem ex Angelo Gabriele (verſ. 13.) etſi verba ejus primo die fuerint exaudita, Malum tamen angelum Principem Regni Perſarum ſibi Gabrieli reſtitiſſe 21. diebus, donec Michaël v. 9. de Principibus in adjutorium, ut cum Rege Perſarum maneret, venerit. Annus hic tertius Cyri, quod ſupra etiam monuimus, nequaquam tertius eſt ab illo, qui c.1. verſ. ult. dicitur primus. Nam is primus annus terminus vitæ Danielis eſt, & primus annus redditæ libertatis Judæorum, poſt quem annum Daniel centenario non multum minor, ſi modò non major, non diu ſuperſtes fuit, quia in Patriam, licet deſideratiſſimam, reverſus non legitur, extra quam, ſi ſupervixiſſet, licet grandævior, utiq; non manſiſſet. At hoc tertio anno de libertate Judæorum adhuc eſt altum ſilentium. Nec hoc loco captæ Babylonis ulla fit mentio. Circumſtantiis ergò omnibus ponderatis, ea quæ cap. 10. 11. & 12. ſcribuntur, accidiſſe omninò ſtatuimus anno 3. Regni ejus Perſici, Attamen ante captam urbem Babyloniorum. Nam die 24. menſis primi, qui noſtro Aprili congruit nimirum poſt tempus Paſchale, viſio hæc Danieli oblata fuit. Is eſt annus ſecundus, adhuc labens, Olymp. 55. & 558. ante Chriſtum, atque 49. poſt deſtructum Templum. Eo autem tempore Cyrus procul dubio adverſus Babyloniorum Regem Nabonnidum, ſive Darium Medum exercitum educere conſtituerat, & forſitan jam oppugnaſſet, niſi Cræſo Regi Lydorum, Babyloniis opem ferendi cauſa egreſſo, occurrendum fuiſſet. Ex ea præparatione apparatus bellici, nomen Cyri vel Cores Danieli innotuit, ipſumque in ſpem libertatis adipiſcendæ, juxta Prophetiam Iſaiæ 44. & 45. erexit. Deo igitur ſupplex factus precibus ipſum

non unam horam, nec unum diem, ſed totas 3. hebdomadas, panem deſiderabilem, ſeu cibum lautiorem non comedens, atque à carne & vino, cultuq; corporis ſolito, toto illo tempore abſtinens, fatigare voluit, ut cùm liberator Cores jam præſtò ſit, Deus populi ſui captivitatem vel tandem abrumpere, ipſoſque domum in Patriam remittere dignetur. Excitabat procul dubio Prophetam ad ardentiores preces, illud ipſum
1. tempus. Nam 1. menſe hoc primo à cujus 3. die uſque ad diem 24.
2. recolebatur memoria Paſchatis, & liberationis ex Ægypto. 2. Is ipſe annus erat 70. à tranſlatione Joachaz in Ægyptum, facta per Nechao Regem Ægypti. Videri igitur poterat jam tum annis 70. à Ieremia
3. prædictis ſatisfactum eſſe. 3. Idem hic annus fuit 49. à deſtructo Templo, & 50. à proximo anno Jubilæo. Unde etiam ipſe Iubilæus fuit. Quare ſicut ipſe Deus, ſervos hoc anno à ſervitutis jugo liberos pronunciari mandavit: ita æquum eſſe ut Deus ſuum populum ſimiliter per Coren hunc, ſuum ſervum, olim ante annos 160. ab Iſaia Propheta ad hoc munus denominatum, libertate donet.

Verùm Angelus Gabriel Prophetæ reſpondet: DEUM preces ipſius, pro ſalute populi ardenter, & magnis ſuſpiriis orantis, & quid tandem de eo futurum ſit, ſcire deſiderantis, eo ipſo die, quo orare cepit, exaudiviſſe: ideoque ſe à DEO mox ablegatum eſſe, ut id, ipſi Danieli, denunciaret, quòd nimirum Cyrus hic ſit populo ſuo libertatem conceſſurus, at Principem Regni Perſici, hoc eſt, Cacodæmonem quendam, qui in Aula, & Regno Perſico, plurimum poteſt, ſibi ſolutionem captivitatis per Cyrum, & reditum Iudæorum in patriam urgenti, totos 21. dies reſtitiſſe, atque tot tantiſque impedimentis objectis liberationem illam impediviſſe, donec tandem auxilio unius Archangeli, è ſupremorum Angelorum numero, Michaëlis ſcil. illum malum ſpiritum repreſſerit. Hiſce ergò indicat, ſolutionem captivitatis non ſtatim, ſicut Daniel ſperaverat ſucceſſuram, ſed eam multo tempore, nimirum 21. diebus iri impeditum. Dubium autem non eſt, Angelum hic non de diebus Politicis, ſed Angelicis, hoc eſt, de 21. annis loqui, quales etiam ſunt hebdomades 70. Daniel 9. & dies *390.* atque dies 40. Ezechiel. 4.

Quoniam ergò ab illo *49.* Anno captivitatis, juxta antecedentem calculum, uſque ad annum *70.* completum, præciſè adhuc *21.* anni ſunt reſidui, certò ſtatuimus, Angelum his 21. diebus, hos ipſos annos, quibus Cyrus bellis cæteris confectis, ſe quieti dedit, determinaſſe.

Hos *21.* annos, quidam à ſoluta captivitate, ad templum Hieroſolymitanum reſtauratum, numerandos cenſent. Cyrus enim poſt libertatem conceſſam, ſuperſtes fuit annis 7. poſt eum imperavit Cambyſes

Filius

filius ejus, annis 8. cui ſucceſſit Darius Hiſtaſpis. Hujus anno 6. putant, illi templi ſtructuram fuiſſe conſummatam, eſſent ergò à ſoluta captivitate hucuſque anni 21. verùm huic ſententiæ nos nequaquam aſtipulamur. Nam primò, hic Darius nequaquam eſt is, de quo liber Eſdræ & Nehemiæ, atque Prophetiæ Haggai & Zachariæ loquuntur, ſub quo templi ſtructura aliquandiu omiſſa, iterum reſumpta, atque abſoluta eſt, ſed is, quemadmodum ſequenti octava quæſtione demonſtrabimus, eſt Darius Nothus, qui multis annis pòſt ſubſequutus eſt. Deinde, ſi cætera, quæ cap. 10. & 11. Daniel. ſequuntur, diligenter ſpectemus, manifeſtiſſimè videmus, hos 21. dies angelicos, ſeu 21. annos, ſolutam captivitatem non ſequutos eſſe, ſed anteceſſiſſe. Nam Angelus in fine cap. 10. ſubjungit, ſe nunc reverti, ut prælietur adverſum Principem Perſarum. Et mox cumque egreſſus fuero, ( ſic enim ex Hebræo legitur ) ecce Princeps Javan ( Græciæ ) veniet. Angelus ergò disertè ante adventum Principis Græciæ, de aliquo novo prælio, cum Principe Perſarum, à priori, quod fuit 21. annorum, diverſo loquitur. Quod nam autem id ſit, & cum quibus futurum, ipſe cap. 11. in principio explicat. Nam de quo prius dixerat: Nunc revertar ( nimirum poſt antecedens prælium, ſive poſt finitos 21. annos) ut prælier adverſum Principem Perſarum: nunc cap. 10. v. 2. ſcribit: Ecce adhuc 3. Reges ſtabunt in Perſide, & 4. ditabitur opibus nimiis ſuper omnes, & cùm invaluerit divitiis ſuis, concitabit omnes adverſus Regnum (Javan) Græciæ. Sic ubi de adventu Principis Græciæ dixerat: cùm egreſſus fuerit Princeps Græciæ veniet, jam c. 11. v. 3. ſurget, inquit, Rex fortis, & dominabitur poteſtate multa, & faciet, quod placuerit ei. Et cùm ſteterit, conteretur Regnum ejus, & dividetur in 4. ventos cæli, ſed non in poſteros ejus, &c. Igitur Angelus disertè tria prælia exprimit, quorum primum eſt 21. dierum, & anteceſſit adventum ſuum ad Danielem, hoc eſt, quòd 21. anni antecedant captivitatis ſolutionem, pro qua Daniel oraverat. Secundum autem eſt, quod nunc adire vult Angelus, conficiendum cum tribus Regibus Perſiæ, & quarto, etiam, qui futurus eſt ditiſſimus, &c. Tertium verò futurum eſt, cum Rege Græciæ. Quod autem hujus tertii prælii Rex Græciæ ſit Alexander Magnus, qui intra 12. annos totum terrarum Orbem domuit; & cujus Regnum, ipſo mortuo, in quatuor Regna non tamen inter ſuos poſteros, diviſum fuit, nemo eſt, qui neſciat. Sic quem Angelus, quartum Regem Perſarum vocat, eſſe Xerxen, qui innumerabili exercitu Græciam invaſit, ſimiliter nemo non agnoſcit. Vnde etiam reliqui tres antecedentes non poſſunt eſſe ignoti. Nam tertius eſt Darius Hiſtaſpes, Xerxis pater. Secundus verò Cambyſes Cyri filius, & primus ipſe Cyrus. Angelus igitur Cyri Regnum bipartitum facit, po-

ſteriorem

ſteriorem ejus partem, cum reliquis ſequentibus Perſarum Regibus, ſub quibus Iudæi poſt libertatem conceſſam, graviter fuerunt ſuppreſſi, connectit, priorem verò expreſsè diverſam facit. Priorem 21. diebus determinat, ſimulque de victoria diſſerit, ſed de poſterioris duratione, ut & de victoria nihil dicit. Etſi enim Cyrus cum Iudæis clementiſſimè egerit, libertateque eos donaverit, vaſaque templi Hieroſolymitani reddiderit, atque templum illud à fundamentis, ad gloriam DEI ſummi reſtaurari, mandaverit: exequutio tamen mox ab altero reditus populi in terram patriam anno, fundamentis templi vix poſitis, fuit interrupta, & non tantùm ab aliis Regibus per edictum prohibita, ſed etiam omnibus diebus ipſius Cyri, quibus poſt ſecundum libertatis annum fuit ſuperſtes, inhibita, Eſdræ 4 v. 5. At poſt primam inhibitionem ſtructuræ templi, (factam quidem non Authoritate Cyri, ſed malitiâ & invidiâ populi terræ, manus & operas ædificantium impedientis, & conſilia eorum turbantis,) iſte angelus malus, Perſarum Princeps, ab angelo bono victus, amplius non fuit, hoc eſt, templi ſtructura amplius non proceſſit, uſque ad annum ſecundum Darii Nothi. At idem ille Cacodæmon antea à Gabriele Angelo, auxiliante Michaële victus fuerat, videlicet poſt 21. dies, angelicos ſcil. Quare dubium non eſt, per hanc victoriam, intelligendam eſſe liberationem populi, ex ſervitute Babylonica, à Cyro permiſſam, atque per conſequens illos 21 dies angelicos, hoc eſt, 21. annos illam ſolutionem captivitatis anteceſſiſſe.

Quoniam ergò hi 21 dies angelici, hoc eſt, 21. anni Danielis, cum illis 21. annis quos poſt captam à Cyro Babyloniorum Urbem, uſque ad completionem 70. annorum captivitatis, reliquos per calculum, & numerationem annorum, à 19. anno Nebucadnezaris, per annos ſequentium Regum Babyloniorum, invenimus, tàm egregiè conſentiunt, (Prophetiæ videlicet, cum eventu, & eventus cum Prophetia,) dubium amplius nullum eſſe poteſt, quin tempora, & annos captivitatis rectè numeraverimus.

Similis viſio Prophetica (quam hîc prætereundam etiam non putamus) habetur Daniel. 9. quam angelus cap. 11. quoque allegat. Facta ea fuit anno primo Darii Medi, ſive Nabonnidi annis 17 ante illam quam tertio Cyri anno vidit. Is fuit annus 51. ſuæ, Danielis ſcil. captivitatis, ſed annus 32. à templo vaſtato. Occaſio ejus fuit, cùm Daniel in librum Ieremiæ incidens, numerum 70. annorum, quibus juxta ejus Prophetiam Ieruſalem & templum deſolata eſſe deberent, intellexiſſet, DEUM ardentiſſimis precibus rogavit, ut ſancti ſui templi, ſanctæque civitatis miſereri dignetur, hoc eſt, ut tempus illius deſolationis abbreviare velit. Acceſſit

ceſſit haud dubiè etiam altera Ieremiæ Prophetia, cap. 27. quâ Propheta dicit: Populum Iudaicum ſerviturum Nebucadnezari, & filio, & filio filii ejus: tum autem Dario regnante, tota poſteritas Nebucadnezaris defecit, & imperium ad alienigenam, Darium ſcil. Medum, devenerat. Daniel ergò ſperavit tempus liberationis jam appropinquare. Sed quia neminem videbat, cui res Iudæorum curæ eſſent, Daniel precibus ad DEUM confugit. Et quemadmodum ex circumſtantiis, præſertim ex angeli de tempore adventus Meſſiæ, reſponſo, colligi poteſt, ſenſus prædicationis Danielis is fuit, ut DEUS tandem mittat eum, quem ſe inde ab Orbe creato miſſurum promiſit, nempè Prophetam illum Magnum, quem & Moſes Exod. 4. v. 13. & populus Iſraeliticus in monte Horeb, Deut. 18. v. 16. 17. & 18. Deut. 5. v. 23. & ſeqq. Exod. 20. v. 18. & 27. etiam expetiverunt, qui populum Iudaicum ex ſervitute Babylonica educeret. Verùm Propheta Daniel hujus quidem voti compos non fit, alia tamen audit longè majora. Nimirum: Tu Daniel, dum Nebucadnezaris poſteritatem deficere, & Regnum ad aliam familiam transferri vides, ſperas tempus ſolvendæ captivitatis appropinquare, & Meſſiam mox venturum, etiamſi 70. illi anni finiti nondum ſint. Verùm in utroque erras. Nam populus Iudaicus certò quidem liberabitur, ſed non ante 70. annos finitos. Et Urbs Hieruſalem certò reædificabitur, ſed non antequam exeat ſermo de ejus reædificatione, (exiit autem hic ſermo, ſicut ex ſequentibus patebit, annó ſecundó Darii Nothi, ab hac Prophetia, ſive ab hujus Darii Medi, anno primo, poſt annos 154.) item Meſſias certò aliquando veniet, tempus enim adventus ejus, apud DEUM determinatum eſt, qui quidem opus redemptionis univerſalis abſoluturus eſt, ſed longè alia ratione, quàm tu Propheta forſan exiſtimas. Ipſe enim non mundano more regnabit, quia occidetur: nec populus Iudaicus cæteris gentibus dominabitur, quia metropolis eorum Urbs ſancta Ieruſalem, etſi reſtauranda ſit, tamen poſt 70. hebdomades annorum rurſus vaſtabitur: & tota Iudæorum politia excindetur, &c.

Sic ſimiliter illic cap. 10. Prophetæ Danieli non omninò ad id reſpondetur, quod petierat, ſed alia ſublimiora ei revelantur, videlicet, 1. Quis liberationem impedierit. 2. Qui & quot Reges Perſici, ſint populum DEI infeſtaturi, poſt liberationem conceſſam. 3. Quid Reges Græcorum, quando ad eos Monarchia fuerit devoluta, (inprimis Antiochus,) contra eundem DEI populum ſint moturi. Item, 4. quis ſit Eccleſiæ circa finem Mundi ſtatus futurus, &c.

Intra illos 21. annos, quibus Cyrus poſt captam Babylonem regnavit, uſque dum dimitteret Iudæos, Daniel, qui multa pollebat Authori-

tate in Regno Darii, & nunc in Regno Cyri, Daniel. 6. v. ult. procul dubio Regem, poſtquàm pacem Regno reddiderat, de Prophetia Iſaiæ 44. & 45. edocuit. Qui cùm videret, ſe ante aliquot ſecula divinitùs vocatum, & nominatum eſſe, tanto majori cum zelo, hanc libertatem populo DEI conceſſit, & vaſa templi reſtituit, nec non ſumptus ſuppeditavit & c. Sed de hoc Zelo poſt remiſit. Nam templi ſtructura ipſo adhuc totum quinquennium vivo, fuit impedita, & intermiſſa, nec ab ipſo ulterius promota aut procurata. Idcircò haud dubiè à DEO punitus eſt, ut tandem in Scythia, quam bello non neceſſario afflixit, miſerè caderet. Inter hos eosdem 21. annos exiſtimo, accidiſſe hiſtorias Belis & Draconis, atque Danielem altera vice, ſicut ante ſub Dario, Daniel. 6. ita nunc ſub Cyro, in lacum leonum conjectum fuiſſe, ſicut Daniel. 14. in hiſtoria apocrypha, ſi modò ea hiſtoria vera ſit, habetur.

## VIII. QUÆSTIO.

### *Quinam ſint illi Artaxerxes, & Darij, Reges Perſarum, de quibus libro Eſdræ & Nehemiæ, & in Prophetia Aggæi atque Zachariæ legitur.*

Sex Perſarũ Reges, in S. Scriptura nominantur.

INgens videtur in libro Eſdræ, libro Nehemiæ, & utroque Propheta Aggæo & Zacharia hiſtoriarum confuſio, cauſam autem putamus ſolam eam, quòd quinam ſint Reges illi, quorum nomina ibi habentur, prima fronte non ſtatim apparet. Quare ut illa hiſtoria æquè ac cæteræ fiat plana, (ſicut in rei veritate planiſſima eſt,) operæprecium erit, ut iſte ſcrupulus eximatur. Neceſſe etiam propterea eſt, iſtos Reges agnoſcere, ut certum initium 70. hebdomadum Danielis habeatur. Id enim quemadmodum ſequenti Quæſtione videbimus, in libris his dictis quærendum eſt. Rege ergò ſub quo illæ hebdomades incipiunt, ignorato, aut falſo pro vero arrepto, fieri non poteſt, quin omnis numeratio falſa ſit. Hinc etiam factum eſt, ut tot tàmque multiplices, & intricatiſſimæ diſputationes de 70. illis hebdomadibus extent, ex unico illo falſo fundamento exortæ, quòd ſcil. in vera Regum in Nehemia & Eſdra cum Regibus prophanorum ſcriptorum applicatione aberratum fuit.

Supra

Supra quæſtione tertia recenſuimus, omnes Reges, qui à Cyro in Perſia, usque ad Alexandrum Magnum imperarunt, videamus nunc, quorum nomina ex illis S. S. nobis exhibeat. fol. 34. 35. 36. 37. 38.

Libro Eſdræ, ſive libr. 1. Eſdræ cap. 1. Cyrus laxata captivitate Babylonica, populum Iudaicum in terram patriam remittit, & redditis vaſis ſacris, mandat, ut templum Hieroſolymitanum reſtaurent. Cap. 3. illius fundamenta jaciunt. Cap. 4. gentes vicinæ dolo Iudæos aggrediuntur, & ſtructuram impediunt. Intermittitur igitur ſtructura per omnes dies Cyri, uſque ad ſecundum annum Darij Regis Perſarum. Eodem cap. accuſationes ſcribuntur contra Iudæos, in principio Regni Ahaſueri, deinde graviores ad Artaxerxen. 1.

Ergò ſecundus Rex, ſive primus, poſt Cyrum, cujus quidem apud Eſdram fit mentio, eſt 1. Eſdræ 4. verſ. 6. Aſſuerus, vel Ahaſueros, ad hunc ſcribuntur ab adverſariis accuſationes adverſus Iudæos, verùm de reſcripto nihil legitur. Videtur ergò ( fortè mandati Cyri adhuc optimè conſcius ) ſilentio totum id diſſimulaſſe, tanquam hoſtis & ipſe Iudæorum. Igitur nec ædificationem urgere, aut adverſariorum illorum malitiam, quâ Iudæos partim dolo, partim vi, & incurſationibus impediebant, reprimere voluit, nec tamen ſtructuram templi interdicto aliquo prohibere fuit auſus. Igitur ei omnis religio fuit nulla religio. 2.

Tertius eſt Artaxerxes ſive Arthahſaſtha, 1. Eſdræ 4. v. 7. ad hunc graviores accuſationes ſcribuntur. Tunc Rex iſte Templi & Urbis Hieroſolymorum reſtaurationem, ſevero edicto prohibuit, ſuisque ſubditis præcepit, ut in brachio & robore Iudæis ædificantibus reſiſtant. 3.

Quartus Rex Perſarum, quem ſacra Scriptura nominat, eſt Darius Hic de reſtauratione templi, interpellatus in Archivis, requiſivit mandatum Cyri, & id in integrum reſtituit, ſuaque Authoritate de novo confirmavit. Hujus ergò mandato, Templi Domini ædificatio, anno ſecundo continuari cepit, & ad annum ſextum completa fuit, quemadmodum 1. Eſdræ 4. v. 5. & ult. atque cap. 5. & 6. legitur. Severum ejus mandatum habetur, 1. Eſdræ 6. v. 6. & ſeqq. & v. 12. Ego Darius ſtatui decretum quod ſtudioſè impleri volo. Sub hoc prophetarunt Aggæus & Zacharias, atque ſtructuram templi promoverunt & adjuverunt. 4.

Quintus Rex eſt alius Artaxerxes ſeu Artahſaſtha, qui & ipſe erga Iudæos benevolentiſſimus, plurimum ipſos adjuvit. Ejus anno ſeptimo Eſdras ſcriba, cum Regio mandato, miſſus à Rege, & ſeptem ejus conſiliariis, ( quaſi ſeptemviris Regni ) aſcendit Ieruſalem, 1. Eſdræ 7. ut procuret cultum divinum, &c. Ejuſdem anno vigeſimo Nehemias Pincerna Regis aſcendit Hieroſolymam, ut Urbis muros diſſipatos, & portas com- 5.

buſtas reſtauraret, & politiam ordinaret. A Rege enim Dux & Præfes terræ Iudæorum conſtitutus fuit. Nehemiæ cap. 1. & ſeq. Complevit autem murum intra dies 52. Nehem. 6. v. 15. Ejusdem anni 32. meminit Nehemias cap. 5. v. 14. & cap. 13. v. 6.

6. Sextò, fit etiam mentio, alterius cujusdam Darij Regis Perſarum Nehem. 12. v. 22. Levitæ (qui erant) in illis diebus Eliaſib, & Iojada, & Iohanan, & Ieddoa ſcripti (fuerunt) Principes familiarum, & Sacerdotes, (vel, ipſi quoque fuerunt Sacerdotes,) in Regno, (vel uſque ad Regnum) Darii Perſæ.

Reges ergò, quorum in Eſdræ & Nehemiæ, atque Aggæi & Zachariæ ſcriptis mentio fit, & qui in eis nominantur, ſunt, Cyrus, Ahaſuerus, Artaxerxes, Darius, Artaxerxes alius, Darius alius. Sed ſuprà cùm omnes illos Reges inquireremus, invenimus hòs, Cyrum, Cambyſen, (Smerdis Magi, ſeptem menſes ſunt Interregnum,) Darium Hyſtaſpen, Xerxen, Artaxerxen Longimanum (Interregnum Xerxis ſecundi, & Sogdiani, quod biennium habet, annumeratur ſequenti Regi,) Darium Nothum, Artaxerxen Mnemonem, Ochum, Arſen, Darium Codomannum ſeu ultimum, quem Alexander debellavit, & Monarchiam ad Græcos transtulit.

fol. 34.

Quæritur ergò, qui nam illi inter hòs ſint? Porrò hac quæſtione cenſemus, ſequendum Ioſephum Scaligerum libr. 6. pag. 283. emendat. tempor. eo enim loco, ſi quicquam toto ipſius illo libro boni inveniatur, certè de Darii ultimi, Darii Nothi, & cùm præcedentis, & ſequentis Artaxerxis indagatione, eruditiſſimè diſſerit.

Darius Nehē. 12. eſt Darius ultimus Codomannus, dictus.

1. Ergò quis inter illos Eſdræ & Nehemiæ Reges Perſicos, omnium facilimè agnoſcitur, eſt is, cujus fit mentio Nehem. 12. v. 22. (loco modò allegato) eum non eſſe Darium ultimum, his argumentis probatur.

1. In Sacerdotum ſummorum ſcil. populi Iſraëlitici Catalogo, (Nehem. 12.) recenſetur ultimo loco Iaddoa vel Ieddua, & additur, ut paulò ante diximus, verſ. 22. In Regno Darii Perſæ. At hic Ieddoa, Ioſepho libr. 11. cap. 8. Antiquit. referente, Alexandro Magno, poſt devictam Tyrum, in Pontificali habitu, obviam proceſſit. Devicta autem eſt Tyrus anno primo, Olympiad. 112. Diodoro Siculo libr. 17. teſtante. Ergò hic Ieddoa vidit Alexandrum Magnum, & per conſequens, vixit ſub Dario ultimo. Quare hic Darius, Nehem. 12. eſt ultimus, ab Alexandro proximè ſequenti anno, poſt expugnatam Tyrum, videlicet ſecundo anno Olymp. 112. debellatus.

2. Et quòd hic Darius alius non ſit, quàm Darius ultimus, demonſtratur quoque per Sanaballaten Horonitam, primarium quendam Re-

gum

gum Perſicorum Præfectum, vel Satrapam, trans Euphraten. Is, ſicut legitur Nehem. *2. 4. 6.* unà cùm Tobia ſervo ( vel officiario Regio ) Amonita & Goſem Arabe, anno *20.* Artaxerxis, Nehemiam reſtaurantem muros Hieroſolymitanos, omnibus modis impedire conatus eſt. Erat ergò ei coætaneus. Hujus meminit Nehemias cap. ult. v. 28. unus de filiis Iojadæ, filii Eliaſib, Sacerdotis magni, gener erat Sanaballatis Horonitæ, quem ( ſummi Sacerdotis Eliaſib nepotem, Sanaballatis generum ) fugavi à me. Iſta paulò pleniùs apud Ioſephum libr. 11. cap. 7. Antiquitat. leguntur. Mortuo Ioanne ( ſummo Sacerdote ) Pontificatum accepit filius ejus Iaddus. Huic quoque frater fuit Manaſſes nomine, cui Sanaballates, miſſus in Samariam à Dario Rege ultimo, Satrapa ( Chutæus genere, unde Samaritis origo eſt, ſciens inſignem eſſe Urbem Hieroſolymorum, Regesque ejus multa negocia, tàm Aſſyriis, quàm Syris exhibuiſſe, ) libenter nuptum dedit filiam Nicaſo, ratus connubium hoc ceu vadem futuræ cum Iudæorum gente amicitiæ. Deinde cap. 8. recitat Ioſephus, quod Seniores Hieroſolymorum, quorum haud dubiè Nehemias poſtremus non fuit) ægrè tulerint, Iaddi ſummi Sacerdotis fratrem, & quodammodò collegam gentilitiam uxorem duxiſſe, atque per id legum paternarum abolitionem, vel confuſionem cum profanis, metuerint, ideò poſtulaſſe, ut Manaſſes aut uxorem dimitteret, aut ad altare non amplius accederet. Manaſſes igitur ad ſocerum Sanaballaten profectus, proteſtatur, ſe quidem filiam ejus amare, attamen propter eam nolle Sacerdotii ſummo honore privari. Sanaballat verò ut divortium amoliatur, pollicetur genero ſe ei non tantùm Sacerdotium ſervaturum, ſed etiam Pontificatum paraturum, & inſuper totius ſuæ provinciæ Samaritanæ principem (in ſui locum, erat enim jam ſenior) facturum, promittit quoque ſe templum, Hieroſolymitano ſimile, in Garizin monte, juxta Samariam, & quidem ex conſenſu Darii Regis, ædificaturum. Interea, Alexandro Magno, adverſus Darium egreſſo, & Darii omnes Satrapas ſuperante, Darius conſcripto milite ei occurrit, ſperans Macedonas ne primum congreſſum exſpectaturos: Sanaballat igitur poſt victoriam, à Dario, quod in animo habebat, petere volebat. Dario autem, contra omnem ſpem victo, Sanaballat ab ipſo ad Alexandrum defecit, & hunc pro illo, Dominum libenter agnovit, ſeque ad Caſtra Alexandri, Tyrum tum oppugnantis, aſſumptis de ſua provincia *8000.* contulit. Ibi igitur libertate accepta, ab Alexandro, quod à Dario petiturus erat, impetravit. Poſtea ergò templum in Garizin extruxit, generumque Manaſſen, Sacerdotem conſtituit. Septem verò menſibus in Tyri, & duobus in Gazæ oppugnationibus abſumptis, Sanaballat mortuus eſt.

Ioſephus Chuthæum vocat, Nehemias Horonitem.

Ex hac narratione clariſſimè conſtat, ea, quæ Nehemias de Iaddoa, & de genero Sanaballatis, cap. 13. ſcribit, geſta eſſe ſub Dario ultimo. Nam is conſtituerat Sanaballaten Satrapam Samaritanum: & ab eo Dario Sanaballat petiturus erat, poteſtatem templi in Garizin monte extruendum: quam poteſtatem poſt ab Alexandro Magno conſequutus eſt, ſuumque Generum Manaſſen, fratrem Iaddoæ, à Iudæis excommunicatum, in eo Pontificem fecit. Hujus meminit Ioſephus etiam libr. eodem 13. cap. 17. ubi dicit: quòd illud templum, ab Hircano primo, fuerit deſtructum, poſt annos 200. Factum autem id eſt, circa annum ante Chriſtum 130. Ergò extructio facta eſt circa annum ante Chriſtum 330. mox poſt Darium, ab Alexandro Magno victum. Ergò etiam is Darius, de quo Nehem. 12. v. 22. eſt is ipſe Darius ultimus.

Darius ſub quo Templũ reſtauratũ. eſt Darius Nothus.

2. Invento uno Rege, ad cæteros inveſtigandos tantò facilior erit aditus. Quis verò alter ille prior Darius ſit, cujus anno ſecundo Templum Domini, olim ſub Cyro inchoatum & fundatum, perfici cepit, & anno ſexto abſolutum fuit, 1. Eſdræ 4. v. ult. & cap. 5. v. 1. & cap. 6. v. 15. Aggai 1. & 2. Zachariæ 1. &c. haud difficile eſt ſcire, res enim plana eſt. Nam hunc Darium antecedit Rex Artaxerxes, & ſequitur Rex Artaxerxes. Ergò dubium non eſt, Darium hunc, eſſe Darium Nothum, quem præceſſit Artaxerxes Longimanus, & ſequutus eſt Artaxerxes Mnemon, Cyri junioris, (de quo Xenophon,) frater natu major. Et ſic invento Dario hoc, de duobus illis Artaxerxibus omne dubium ſimul ſublatum eſt.

3. Unus adhuc ſupereſt Rex Perſarum, de quo pauca in Bibliis leguntur. 1. Eſdr. 4. v. 6. in regno autem Aſſueri (vel Ahaſveros) in principio Regni ejus, ſcripſerunt accuſationem adverſus habitatores Iudæ & Hieroſolymam. Hic unus & ſolus, quis ſit tàm certò, ſicut de cæteris, aſſeri non poteſt. Certum autem eſt, eum eſſe aut Xerxen aut Darium Hyſtaſpen, aut Cambyſen, Cyri Filium, nullus enim alius præter hos ſupereſt. In vulgaris latinæ translationis quibusdam exemplaribus ſanè ſic legitur. In regno autem Aſſueri, ipſe eſt Artaxerxes, in principio Regni ejus &c. At ſcire hìc oportet, quòd verba hæc [*ipſe eſt Artaxerxes*] in quibusdam Exemplaribus inſcribuntur parentheſi, in aliquibus absque parentheſi: in nonnullis ad Marginem affiguntur. Invenias aliqua, quibus planè omittuntur. Attamen in primis ſciendum eſt, hæc ipſa verba, nec in Hebræo textu, nec in Græca 70. interpretum translatione, haberi, quare omninò cenſendum eſt, ea fortuitò à ſciolo aliquo juxtà fuiſſe aſcripta, & poſtea ab imperitiore quodam ipſi textui inſerta. Sed utut ſit, ex ipſo contextu clariſſimè cernitur,

cernitur, hunc Aſſuerum non eſſe Artaxerxen, ſub Principio enim regni Aſſueri, accuſationes adverſus Iudæos ſcriptæ ſunt, ſed à Rege neglectas apparet. Nam nullum ad eas reſcriptum ſubſequutum eſt. Sed regnante Artaxerxe accuſationes longè graviores ad regem fuerunt delatæ, & quidem tales, quæ tantum pondus habuerunt, ut templi, & Vrbis reſtauratio, ante, partim dolosè, partim de facto, impedita, nunc authoritate Regii mandati fuerit prohibita. Quis autem is Aſſuerus fuerit, ut certò ſciamus ad nullam, noſtrarum harum Chronologicarum quæſtionum ſingulariter requiritur (quanquam, ut ſequitur, nos Xerxen eſſe putemus) ſed ſatis eſt ſcire, eum eſſe diverſum ab illo Artaxere, qui Templi & urbis ædificationem prohibuit 1. Eſdr. 4. v. 7.

Etſi verò ex dictis clariſſimum ſit, per duos illos Artaxerxes, & intermedium Darium Eſdræ & Nehemiæ, nullos alios Reges intelligi poſſe, quàm Artaxerxem Longimanum, Artaxerxen Mnemonem, & inter eos Darium Nochum, atque per Ahaſuerum, aliquem Regum priorum: multò tamen ea de re erimus certiores, ſi diverſas opiniones à veritate procul aberrare demonſtraverimus.

Plerique Chronologi, & quidem unà cum eis ſacrarum literarum fideles interpretes, hunc, de quo nunc agimus, Darium, qui ſcil. anno Regni ſuo ſecundo, mandato Cyri renovato, Iudæis & permiſit, & denuò ſeriò Templi ædificationem aliquot annos intermiſſam abſolvere præcepit, propemodum unanimi conſenſu judicant, eſſe Darium Hyſtaſpen, quidam id ſimpliciter pro confeſſo aſſumunt. Johannes Funccius in Chronicorum commentario lib. 2. ad annum 3427. quem (Darium, inquit) Filium Hyſtaſpis fuiſſe nulli eſt dubium. Item, in hoc unanimiter (plerique Eccleſiæ ſcriptores) conſentiunt, Templum Domini anno 6. Darii Hyſtaſpis eſſe completum. Unde Artaxerxes antecedens eis eſt Cambyſes Cyri Filius, Artaxerxes autem ſequens eis eſt Artaxerxes Longimanus, Darii Hyſtaſpis nepos, Xerxis Filius. Ab hac ſententia, lubentes etiam nos, propter tantorum virorum authoritatem, non recederemus, niſi graviſſimis nos rationibus compelleremur.

Nam 1. huic ſententiæ repugnat nomen quarti Regis. vid. Aſſueri, cui inter Cyrum & Darium Hyſtaſpen nec nomen nec locus invenitur. Quod enim ipſi Aſſuerum & Artaxerxen 1. Eſdr. 4. v. 6. & 7. pro uno & eodem Cambyſe accipiunt, textus ipſe contrarius eis eſt, qui & tempora, & nomina, & Regna eorum diſertè diſtinguit. Quæ autem textus diſtinguit, ea malè confunduntur, aut pro iiſdem habentur. Nec locum hîc habet vetus latina translatio, quâ in quibuſdam exemplaribus legitur

legitur, ipſe (ſcil. Aſuerus) eſt Artaxerxes, quia ut modò diximus hæc verba non ſunt authentica, ſed à quodam malè aſſuta, ideoque expungenda. Nec valere poteſt, ſi pro Aſſuero Cambyſen, & pro Artaxerxe, alterum ex Magis accipiamus. Nam Magorum Imperium, interregnum potius fuit, & tantùm 7. menſium, cùm Cambyſes diutiùs videlicet annos 7. menſes 5. regnaverit. Nec dignus eſt is Smerdes, ut, qui ſe Regis Cyri Filium, per 7. menſes mentitus eſt, pro Rege habeatur. Quare etſi ſolum iſtud Aſſueri nomen inter cæteros Reges tàm notum non eſt, & licet id notum eſſe non multum commodat, ignotum verò manere nihil admodum incommodat, utile tamen eſt, quin & valde neceſſarium, id ab Eſdra non fuiſſe prætermiſſum. Ex eo enim certò conſtat, Darium illum non eſſe eum, qui Hyſtaſpes dicitur. Quare etſi non negemus (quo ipſi etiam ſuam ſententiam ſuffulcire ſolent) nomina Darii, & Artaxerxis fuiſſe communiter apud Perſarum Reges uſurpata, quemadmodum in poſterioribus illis Regibus notiſſimum, ſicut etiam Ægyptorum omnes Reges olim nominati ſunt Pharaones, poſterioribus temporibus Ptolemæi, & Romani Imperii præſides omnes, vocantur Cæſares, Imperatores & Auguſti: Vehementer tamen dubitamus quin potius certò aſſerere non veremur (ſiquidem ex hiſtoriis contrarium nemo demonſtrabit,) quòd hæ appellationes tam communes etiam fuerint apud priores Perſarum Reges ſicut pòſt apud poſteriores. Cyrus certè nec Darii, nec Xerxis vel Artaxerxis nomen ſibi aſſumpit. De Cambyſe nullum apud omnes hiſtoricos veſtigium hujus nominis ſibi vindicati invenitur. Unde mirum foret, quare Sacra Scriptura ei iſtud nomen attribueret. Darius Hiſtaſpes hoc nomen ſibi non poſt adeptum Regnum arrogavit, ſed ad Regnum attulit. Xerxes & Artaxerxes Longimanus illa ſua nomina in infantia acceperunt. At poſt hos demum nomina illa generaliùs fuiſſe uſurpata, & communiter omnibus vel pleriſque Regibus aſcripta, ex Hiſtoricis animadvertere licet.

Artaxerxes Maemon ante Regnũ adeptum Arſicas nominatus fuit. Dinon ait, eum Oarſen, ὀάρπα fuiſſe dictum. Plut in Artaxerx. Poſt hunc autem quia bonus, Affabilis, & pacis amans fuit, omnibus cæteris Regibus, hujus nomen im oſitum fuiſſe, teſtatur Diod. ſiculus lb. 15. pag. 465.

2. Tempus inter Cyrum & Darium hunc, multò majus eſt, quàm ut ad Darium Hyſtaſpen deſinat. Id apparet 1. non tantùm ex verbis 1. Eſdr. 4. v. 5, ut deſtruerent conſilium eorum, omnibus diebus Cyri, Regis Perſarum, & uſque ad Regnum Darii, Regis Perſarum. Et verſ. ult. Tunc intermiſſum eſt opus Domini in Hieroſolymis, & non fiebat uſque ad annum ſecundum Regni Darii, Regis Perſarum. Sed 2. id multò dilucidiùs cernitur ex inquiſitione mandati Cyri. Etenim 1. Eſdr. 5. cùm Zorobabel dux, & Ieſua ſummus ſacerdos, inconſultò quidem Rege, ſed monentibus & exhortantibus Prophetis Haggæo & Zacharia,

Zacharia, anno 2. Darii redirent ad Templi ſtructuram, inde à ſecundo anno reditus populi Iudaici ex Babylone intermiſſam: ibi duces & præfecti, vel, ſi mavis dicere, Satrapæ Perſici, qui erant trans flumen Euphraten, ad Regem Darium, quid Hieroſolymis fiat, & quid ſeniores populi eis quærentibus reſponderint, perſcribunt, & Regem monent, ut in Bibliothecis, vel potius in Gazophylacio ſeu in Archivis Regis quærat, an tale quod mandatum à Cyro fuerit datum, quale Judæi pro defenſione ſui allegant. Hi præfecti ergò nihil quicquam de hoc mandato Cyri notum habuerunt, multò minus, quòd vaſa Templi olim à Nebucadnezaro ablata & deprædata reddiderit, viciniſque ducibus & præfectis Regiis, ut Judæis auxilio ſint, atque ſumptus ex redditibus Regiis ſuppeditent, mandaverit. Sic 1. Eſdr. 6. Rex Darius præcepit, ut in Archivis, quid de ædificio Templi Hieroſolymitani à Cyro fuerit decretum, quæreretur. At illud decretum nec in Babylone, nec tota Aſſyria, nec etiam in Perſide inventum fuit, tandem autem in Ecbatanis (vel, Ahmetha) quod eſt caſtrum in Media provincia id repertum eſt. En hoc Cyri decretum ex omnium hominum memoria excidit, & nemo erat, qui, quò repoſitum ſit, noviſſet, utpote omnibus, qui ejus notitiam habuerunt, mortuis, vix tandem autem inventum id fuit in terra Medorum. Ex quibus luce clarius eſt, tempus inter Mandatum Cyri editum, & ejusdem hanc requiſitionem, non breve, ſed multorum annorum fuiſſe, intra quos annos non tantùm Regum Perſonæ aliquot vicibus mutatæ fuerunt, ſed etiam conſilarii omnes obierunt. Verùm tempus inter Cyrum & Darium Hyſtaſpen longè brevius eſt, quàm quòd his circumſtantiis ſatisfaciat. A ſoluta enim captivitate ad mortem Cyri, ſicut ſuprà computavimus ſuperſunt anni 7. ſequuntur Regni Cambyſis, (unà cum 7. magorum menſibus) anni 8. & deinde duo anni Darii Hyſtaſpis, qui omnes ſunt anni 17. (taceo hìc eorum calculum, qui à ſoluta captivitate, ad ſecundum Darii hujus annum multò pauciores annos invenit. Nam plerique qui Templum Domini Hieroſolymis, ſub Dario Hyſtaſpe abſolutum judicant, Cyro poſt libertatem Iudæis datam vix unum atque alterum annum largiuntur, unde hic 17. annorum numerus aliquot annis decurtaretur). Quis autem dicet, ab iſto tempore, quo memorabili facto, in omnem æternitatem celebrando, Cyrus totam gentem Judæorum liberam in patriam totos 70. annos deſertam, multis cum divitiis remiſit, ſicut 1. Eſdr. 2. videre eſt, elapſos eſſe annos tantummodo 17? quis credet iſtorum præfectorum Perſicorum trans flumen degentium, unà cum ſuis conſiliariis (erant enim Satrapæ, & quaſi proreges) neminem natum majorem 40. aut 35. fol. 75.

m vel

vel 30. annorum fuiſſe? quod ſi aliqui ipſorum natu non minores fuerunt, quomodo iſtius reditus populi Judaici non fuerunt memores? quomodo neſciebant, unde & cujus authoritate & permiſſu ſint reverſi? Ita veriſimile nequaquam eſt, quòd vel omnes aulici vel Conſilarii aulæ Perſicæ, qui ſub Cyro vixerunt, jam anno 2. Darii Hyſtaſpis fuerint extincti. Cur ergò tam curioſè, &, mandante Dario, tàm ſtudioſè illud mandatum quòd amiſſum, in omnibus Archivis requirendum fuit quando non pauci adhuc ſuperſtites fuerunt, quibus omnia acta & facta adhuc quaſi recenti memoria erant notiſſima? Indubitatâ ergò conjecturâ inde colligitur, annos multò plures, quam 17. à Cyro ad illius Darii annum ſecundum fuiſſe elapſos. Ideoque illum Darium nequaquam eſſe Darium Hyſtaſpen.

Nos igitur communi iſtorum Chronicorum & Chronologorum ſententiâ abjectâ, judicamus, Darium illum, ſub quo Templum Domini Hieroſolymitanum ædificatum & abſolutum fuit, nequaquam eſſe Darium Hyſtaſpen, ſed Darium Nothum. Illa enim ſententia, dum in Sacra Scriptura, plures Reges inter Cyrum & Darium ſuum invenit, quàm in rerum natura fuerunt, ex duobus Regibus, ipſa Sacra Scriptura contradicente, unum componit: noſtra verò non modò illi ipſorum ſuperfluo locum relinquit, ſed potiùs dolet, quòd non etiam plurium, tàm ante, quàm poſt ſuum Darium (Nothum ſcil.) fit mentio. Illa ſuis Regibus aliena, illisq; temporibus inuſitatiſſima nomina affingit. Cambyſen enim nominat Artaxerxen, cùm tamen id nomen Cambyſis Seculo nondum fuerit uſitatum: Noſtra nihil fingit, ſed Artaxerxen, Darium, & rurſus Artaxerxen, ſicut & poſtremum Darium, ex Sacra Scriptura appellat iisdem nominibus, quibus apud prophanos Scriptores nominantur. Illa, temporis intervallum inter Cyrum & ſuum Darium in nimis paucos annos contrahit, videlicet à mandato Cyri, ad ſecundum annum ſui Darii, non plures annos numerat, quàm 17. vel etiam ſecundum quoſdam 14. 13. vel 12. quod tempus nimis breve juſto eſt: ſecundum noſtram autem ſententiam numerantur à liberatione Judæis conceſſa, h. e. ab anno ante Chriſtum 537 usque ad annum ſecundum noſtri Darii, h. e. ad annum ante Chriſtum 421. (nam
fol. 39. primus ejus annus ſupra quæſtione 3. fuit 423.) interveniunt anni 116. Intra quos annos multò credibilius eſt, non tantùm iſtud Cyri decretum, ſed etiam alia pleraq; ejus acta oblivioni tradita, non pauca eorum penitùs amiſſa fuiſſe, quemadmodum hoc ipſum decretum non niſi ſingulari divinâ providentiâ, nullo intermediorum Regum, ducum, ſatraparum aut conſiliariorum conſcio aut volente, in latebris quod extra

tra Regnum (haud dubiè ab aliquo Iudæorum hoſte in eum locum data opera, ne in lucem amplius veniret abſtruſum) fuit aſſervatum. Hinc mirum non eſt, quòd non tantùm ſatrapæ trans flumen, ſed etiam, qui latera Regis Darii cingebant, id ignoraverunt.

Ipſo adverſæ ſententiæ fundamento deſtructo, jam ejus fulcra, ſua ſponte collabuntur. Nonnulli dies illos 21. angelicos, h. e. 21. annos, Dan. 10. numerandos cenſent à captivitate ſoluta, uſque ad *6.* annum Darii, quo Templi ſtructura fuit completa. 1. Eſdr. *6.* v. *15.* Quoniam autem 7. anni reſidui à ſoluta captivitate ad mortem Cyri, conjuncti cum 8. annis Regni Cambyſis & *6.* annis Darii, conficiunt totidem nimirum 21. annos, dubium non eſſe, exiſtimant, quin non tantum illos ipſos annos Angelus indicaverit, ſed etiam iſte Darius Hyſtaſpes ſit is, de quo 1. Eſdr. *6.* & ante, agitur. Verùm nos reſpondemus quòd iſta interpretatio textui Danielis planè contrarietur. Nam 1. Hi 21. anni, quibus Princeps Perſarum Regni Angelo reſtitit, ſolutam liberationem non ſubſequuti ſunt, ſed anteceſſerunt. Angelus enim ibi de alio prælio ſubſequuturo loquitur. Sed ea de re præcedenti quæſtione plura diximus. fol. 80. His ergò 21. annis nos opponimus alios 21. annos, quos in computatione nequaquam quæſivimus, ſed ultrò oblatas accepimus, nimirum à capta urbe Babylone ad ſolutam, captivitatem. Deinde Angelus ad Danielem dicit prima die exaudita ſunt verba tua, &c. Princeps autem Perſarum regni reſtitit mihi 21. diebus, & ecce Michaël venit in adiutorium mihi, &c. Hinc videre eſt, quod ſtatus Eccleſiæ Iudæorum per totos illos 21. dies fuerit afflictus, nec quicquam ei ex animi ſententia ſucceſſerit. At in hoc tempore ſtatus adverſus vix eſſet annorum 14. Nam primum biennium fuit exoptatiſſimum, primo enim anno Cyrus omnes Judæos liberos dixit: vaſa olim ex Templo ſpoliata reſtituit: Templum extrui, mandavit: & ſumptus uberrimè ſuppeditari præcepit, Secundo anno fundamenta Templi ingenti cum lætitia fuerunt poſita: huc usque nihil adverſi Iudæis accidit. Verùm tùm demum vicini hoſtes, ædificationem impedire ceperunt. Sic poſtremo quinquennio ab anno 2. ad *6.* incluſivè, quod ſeculum magis exoptatum eſſe potuit? Dominus Deus Zorobabelem & Jeſuam per Aggæum & Zachariam Prophetas excitavit, ad perficiendum opus Domini: omnes tribules hilari animo laboribus ſe ſubmittunt: vicini præfecti, quorum anteceſſores graviſſimas adverſus Judæos accuſationes ad Reges Perſicos, Aſſuerum & Artaxerxen, ſcripſerunt, nunc multò ſunt æquiores, Regem Darium non irritant, nec adverſus Judæos, incitant, ſed nudè & ſimpliciter, ſepoſito omni affectu, quid Hieroſolymis gera-

tur, & quæ reſponſa à ſenioribus acceperint, denunciant, atque reſolutionem Regis expectant: Rex verò clementiſſimo novo mandato vetus illud Cyri decretum totum renovat, gravemque pœnam transgreſſoribus indicit. A me, inquit 1. Eſdr. 6. v. 11. poſitum eſt decretum, ut omnis homo, qui hanc mutaverit juſſionem, tollatur lignum de domo ejus, & erigatur & configatur in eo, domus autem ejus publicetur. Deus qui habitare fecit nomen ſuum ibi (in Templo Hieroſolymitano) diſſipet omnia Regna & populum, qui extenderit manum ſuam, ut repugnet, & diſſipet domum Dei illam, quæ eſt in Hieruſalem, ego Darius ſtatui decretum, quòd ſtudioſè impleri volo. Itaq; ſtructura domus Domini feliciter proceſſit, jubente Deo Iſraël, & jubente Cyro & Dario, &c. 1. Eſdr. 6. v. 14. Quare ſolis illis annis 14. videlicet à ſecundo anno reditus ad ſecundum annum Darii, Templi ſtructurâ ſuſpensâ, Judæi ab hoſtibus ſuis fuiſſent vexati. Ex quibus cernitur, quòd illi 21. anni Dan. 10. nequaquam ſint hujus loci. Unde non ſequitur Darium illum 1. Eſdr. 6. eſſe Darium Hyſtaſpen.

His igitur argumentis evidentiſſimè demonſtratum eſſe videmus, quòd Darius, cujus fit mentio Nehem. 12. ſit Darius ultimus: Alter a. ille Darius, à cujus anno ſecundo ad ſextum annum, Domus Domini fuit completa, ſit Darius Nothus. Qui verò eum ſequutus eſt Artaxerxes, ſit Artaxerxes Mnemon. Et qui anteceſſit, ſit Artaxerxes Longimanus. De uno Aſſuero Eſdr. 4. v. 6. dubitatur, Cambyſes ne fuerit an verò Darius Hyſtaſpes, an Xerxes. Nos ſicut ſequitur, conjicimus eum fuiſſe Xerxen. Uerùm etſi eum vel Darium, vel etiam Cambyſen putemus noſtro tamen propoſito id non obeſt.

## IX. QUÆSTIO.

### *De ætate duorum Ducum primariorum ſive Principum Judæorum à completa captivitate Babylonica, usq; ad Alexandrum Magnum, nimirùm Zorobabelis & Nehemiæ: Item de ætate Jeſuæ Sacerdotis ſummi, & Esdræ ſacerdotis atq; ſcribæ. Item de ætate Sanaballat hoſtis Judæorum.*

Præce-

PRæcedentis quæſtionis argumentis, pro confirmanda noſtra, & deſtruenda communi illa Chronologorum ſententia, magnum videbatur a ldi poſſe argumentum, ab ætate Sanaballatis, de quo diximus, Satrapæ terrarum trans Euphraten. Sed quia id per inſtantiam, non unam, ſed quadruplicem, infirmari poſſe videmus, ideò prioribus argumentis, tanquàm certiſſimis, & indubitatis, contenti ſumus. Hujus tamen occaſione, de ætate Zorobabelis, Nehemiæ, Ieſuæ & Eſdræ, item illius Sanaballat, qui Nehemiæ ſtudium reſtaurandi Hieroſolymas omnibus technis, & dolis, malitiosè intervertere conatus eſt, quædam diſſerenda putavimus.

Sanaballatem hunc, dictum eſt quæſtione præcedente, mortuum eſſe, Joſepho libr. 11. cap. 8. Antiquitat. teſte, poſtquam Alexander Magnus Tyrum ſeptem menſes, & Gazam duos menſes obſeſſas, expugnaverat. Factum id eſt anno proximo, ante devictum Darium ultimum, nimirum anno primo, Olymp. 112. ante Chriſtum, anno 331. Erat autem Ioſepho ibidem teſte, ſenio confectus. At hic idem Sanaballat anno vigeſimo Artaxerxis plurimum negotii, Nehemiæ muros Hieroſolymorum reficienti faceſſivit, Nehem. *2.* 4. & *6.* capp. Is Artaxerxes autem ſicut præcedente quæſtione demonſtravimus, fuit Artaxerxes Mnemon, cujus initium incidit in annum 404. ante Chriſtum, ergò annus vigeſimus, incidit in annum 384. ante Chriſtum, à quo anno, ad annum mortis ejus, ſuperſunt anni *53.* quod ſi ſtatuatur, Sanaballatem in anno vigeſimo Artaxerxis fuiſſe annorum 30. circiter, (minorem enim fuiſſe vix veriſimile eſt,) manifeſtum eſt, ipſum annos 80. ætatis exceſſiſſe. At ſecundùm communem Chronologorum ſententiam, quæ Artaxerxen illum, non pro Mnemone, ſed pro Longimano habet, cujus annus vigeſimus eſt annus *445.* ante Chriſtum, (initium enim Regni ejus incidit in annum *465.* ante Chriſtum,) hic Sanaballat poſt illum 20. annum vixiſſet annos 114. Unde ſequeretur ipſum ad annum ætatis 140. vel 150 perveniſſe. Verùm quemadmodum præcedente quæſtione ſufficienter demonſtratum eſt, Darium, ſub quo templum completum fuit, non eſſe Darium Hyſtaſpen, ſed Darium Nothum, ideò hic Artaxerxes non eſt Longimanus, ſed Mnemon, unde Sanaballates mortuus eſt, non minor octogenario, attamen nonagenarium, vel etiam centenarium fuiſſe non inficiabimur. Grandis ſanè videtur hæc ætas, verùm illo ſeculo, plures alios, ad multò plures annos produxiſſe dies vitæ ſuæ, certum eſt. Exempla quatuor nobis ſunt in promptu.

**1. Sanaballates non minor octogenario mortuus.**

fol. 92.

Nehemias enim, qui erat filius Hachaſia, & alio nomine, (ſecundum Aulæ Perſicæ conſuetudinem) nominabatur Hatherſatha vel Thirſatha, *Eſdræ 2. v. 63.* Nehemiæ *7. v. 65. 70.* & cap. 8. v. 9. & cap, 10. v. 1. unus eorum, qui de captivitate ex Babylone cum Zorobabele & Ieſua redierunt, atque ut apparet, unus ex Ducibus fuit. Nam non tantùm nomen ejus, Eſdræ 2. v. 2. Nehem. 7. v. 7. Zorobabeli & Ieſuæ proximè adjungitur. Qui venerunt cum Zorobabel, Ieſua, Nehemia, &c. Sed tum quoque magna authoritate pollebat, quia Eſdræ 2. v. 63. Nehem. 7. v. 65. Sacerdotes, qui Genealogias ſuas, quòd de genere Sacerdotum eſſent, docere non poterant, Sacerdotio repulit, donec ſtaret Sacerdos, qui revelatione ſingulari, quid de eis ſtatuendum eſſet, dicere poſſet. Hic rediit in Aulam Perſicam, nam anno vigeſimo, Artaxerxis Mnemonis, Regis Pincerna fuit, Nehem. 1. v. ult. eoque anno à Rege impetravit, ut reſtauraret muros Hieroſolymitanos, Neh. 2. quos refecit intra 52. dies, Nehem. 6. v. 15. fuitque populi Dux uſque ad annum 32. Artaxerxis, Nehem. 5, v. 14. hoc eſt, per duodecim annos manſit in terra Iudæa, donec omnis Politia benè conſtitueretur. Poſt reſtauratos muros quæſivit, Nehem. 7. v. 6. catalogum eorum, qui cum Zorobabele ex captivitate aſcenderant, ubi ſuum nomen ſimiliter, ſicut Eſdræ cap. 2. ſcribitur, invenit. Porrò à captivitate per Cyrum ſoluta, hoc eſt, ab anno ante Chriſtum 537 uſque ad vigeſimum annum Artaxerxis Mnemonis, qui eſt annus ante Chriſtum 384. fluxerunt anni 153. Quod ſi Nehemias illic fuit 20. annorum, oportet ipſum hìc exceſſiſſe annos 173. Sed ne hic numerus annorum ætatis major juſto, & omnem veritatem excedere putetur, atque per conſequens, ne hìc falsò Artaxerxen Mnemonem, pro Longimano, & inde etiam falsò Darium Nothum, pro Dario Hyſtaſpi, ſumamus: en aliud, Nehemias hic anno 32. Artaxerxis ad Regem rediit, Nehem. 13. v. 60. atque in fine dierum (forſan poſt annum unum) rogavit Regem, ut Hieroſolymam rediret, (hoc eſt, impetravit plenariam dimiſſionem ab officio) inde Hieroſolymis manſiſſe per omnes dies vitæ videtur, quos dies adhuc valde multos fuiſſe, ex iis, quæ ſuprà ex Neh. 13. & ex Ioſepho lib. 11. c. 7. & 8. antiquit. recitavimus. Nehemias enim vixit uſq; ad tempora Darii ultimi, & Alexandri Magni, atque fratrem ſummi Sacerdotis Jaddoæ, nomine Manaſſen, Sanaballati generum, Sacerdotio ejecit, cui Sanaballat ſocer, novo templo extructo, alium Pontificatum à Dario impetrare voluit, & poſt, victo Dario, ab Alexandro Magno conſequutus eſt. Ergò Nehemias hic victo Dario, vel ad minimum incipiente bello inter Alexandrum & Darium ultimum adhuc in vivis fuit. Movit autem expeditionem adverſus Darium Alexander anno ante Chr. 332. h. e. poſt 205.

2. Nehemias ultra 226. annos vixit.

annos à ſoluta per Cyrum captivitate Babylonica, quibus ſi addamus non plures quàm viginti annos, videmus Nehemiam ultrà *226.* annos vixiſſe, qua ætate plurimos Patriarcharum ſuperavit. Certè Grandævam ejus ætatem, ſenilis libri ejus ſtylus edocet. Itaque dubium non eſt, quin qui ſenex Alexandrum Magnum vidit, idem Danielem Prophetam adoleſcens viderit.

**3. Eſdras ad ætatem Nehemiæ quà proximè acceſſit.**

Ad eandem quàm proximè ætatem perveniſſe, Eſdram veriſimiliмè probari poteſt. Etſi enim 1. Eſdræ 2. & Nehemiæ 7. inter reduces ex Babylonia non numeretur: tamen Nehemiæ 12. v. 2. expreſsè inter eoſdem nominatur. Unde colligi poteſt, ipſum reditus tempore adhuc minorennem fuiſſe, nec 20. ætatis annos compleviſſe: nomen verò ejus pòſt demum propter inſignem authoritatem, ad quam aſcendit, & etiam propter ſenectutis gravitatem, in primis verò propter inſignem peritiam legis, Eſdræ *7.* v. *6.* 10. 11. ad quam pervenit, primorum reducum numero aſcribi meruiſſe. Hic Eſdras enim clareſcere maximè cepit anno ſeptimo Artaxerxis, Eſdræ 7. hoc eſt, poſt primum reditum, anno 140. & anno vigeſimo Artaxerxis, hoc eſt, ab eodem reditu ex Babylone, anno *153.* ſuperſtes adhuc fuit. Ipſe enim Nehem. 8. librum legis populo prælegit: & Nehem. 12. v. *33.* dedicationi muri interfuit, & in diebus Ioakim filii Iofuæ, ipſe cum Duce Nehemia, ut Sacerdos & Scriba, Nehem. 12. v. *26.* populo præfuit.

**4. Zorobabel abſoluto templo non fuit infra 150 annos.**

Zorobabel Dux, (alio nomine, in Aula Perſica, dictus Sesbazar, Eſdræ 1. v. *8.* & 11. nam Eſdræ *5.* v. *15.* & *16.* hic Sesbazar à Cyro, Princeps Iudæorum conſtitutus, poſuit fundamenta templi: At id à Zorobabele factum eſt, Eſdræ *3.* Zachariæ 4.) & Ieſua, Sacerdos ſummus, ad multos annos ætatem quoque perduxerunt. Hi enim inter omnes ex Babylone reduces, primas tenuere. Ergò etiam tum tàm ætate, quàm prudentia aliis præſtabant. Horum auſpicio anno ſecundo reditus templum fundatum fuit: & anno ſexto Darii Nothi abſolutum, Eſdræ *3.* v. 8. & cap. *6.* v. *15.* juxta Prophetiam Zachar. 4. v. *9.* Manus Zorobabel fundaverunt domum iſtam, & manus ejus perficient eam. At autem reditus anno, ad annum ſextum Darii Nothi, hoc eſt, ab anno *537.* ad annum 417. ante Chriſtum elapſi ſunt anni 120. His ſi addantur anni *30.* (haud enim juniores eos fuiſſe credendum eſt, quando à Cyro ex Babylone dimiſſi populo præficiebantur,) ſequitur eos, quando templum fuit completum, non fuiſſe infra 150. annos, quàm diu autem poſt vixerint, incertum eſt: Eſdræ *7.* quandò Eſdras anno ſeptimo Artaxerxis Mnemonis à Rege mitteretur in Iudæam, nec Ieſuæ, nec Zorobabelis amplius ulla fit mentio. Ita incertum eſt, an Zorobabeli Nehemias immediatè mox ſucceſſerit.

Nehem..

Nehem. 5. v. 15. plurium aliorum Ducum ante ſe meminit, ſed ii videntur tantùm Duces & Principes, quisque in ſua familia fuiſſe, ſicut ejusmodi plures recenſentur Nehemiæ cap. 3. ſic Nehem. 9. v. ult. Nehem. 11. v. 1. & Nehem. 12. de Principibus populi pluribus legitur, attamen Nehemiæ 12. v. ult. duo tantùm principales nominantur, Zorobabel & Nehemias. Unde Zorobabel non multum ante annum Vigeſimum Artaxerxis, quo Nehemias in Iudæam rediit, mortuus videtur. Hæc de iis, quos illud ſeculum ſatis longævos homines tuliſſe, certa ratiocinatione invenimus.

## X. QUÆSTIO.

### *De Hiſtoriis & Prophetiis atque rebus memorabilibus, geſtis ſub Dario Notho, & Artaxerxe Mnemone, item ſub Daniele Propheta, quibus nimirùm temporibus competant, prout in libris Eſdræ & Nehemiæ, atque Prophetiis Danielis, Aggæi & Zachariæ referuntur.*

INvento ergò Dario, videlicet Dario Notho, ſub quo templi ſtructura fuit completa, jam nunc etiam cæterarum hiſtoriarum Chronologica tempora latere non poſſunt. Ea verò cognitu omninò ſunt neceſſaria, alioqui ad 70. hebdomadum Danielis inveſtigationem nunquam perveniemus. Ut autem aptè omnia cohæreant, repetenda ducimus, etiam ea, quæ de Prophetiis Danielis ſupra diximus.

fol. 49.

Hiſtoria Danielis.

Daniel Propheta, in tenera adhuc ætate, abductus fuit in Babylonem, à Nebucadnezare Magno, anno tertio Ioakim, anno ultimo Nebucadnezaris primi. Anno tertio Olymp. 38. qui eſt annus ante Chriſtum 626. Daniel. 1. Erat autem non minor decennio.

Nebucadnezar, patre mortuo, fit Rex Babylonis, circa initium anni quarti, Olympiad. 38. circa annum ante Chriſtum 624½. ſuprà quæſtione ſecunda.

Anno primo vel ſecundo Nebucadnezaris, ante Chriſtum 624. vel 623. videtur hiſtoria Suſannæ accidiſſe, Daniel. 13.

Anno

Anno ſecundo Nebucadnezaris, Daniel à Rege extollitur, propter ſomnii explicationem, Daniel. 2. circa annum ante Chriſtum 622.

Anno octavo Regni ſui, hic Nebucadnezar abducit in captivitatem, Iechoniam Regem, & inter alios etiam Ezechielem Prophetam. Is eſt annus tertius, Olymp. 40. & ante Chriſtum 618.

Anno decimo octavo Nebucadnezaris, (ut Græcus Daniel habet) cap. 3. Rex ſtatuam erigit, adorandam. Verùm tempus congruere non videtur, quia Nebucadnezar tùm in terra Iuda morabatur. Forſan melius congrueret anno quarto, ſexto aut octavo.

Anno Regni ſui decimo nono, qui eſt annus ſecundus, Olymp. 43. ante Chriſtum, annus 607. totam Iſraëlitarum gentem, in captivitatem abduxit, & hoc eſt initium ſeptuagenariæ captivitatis Babylonicæ.

Anno primo Belſazar (quo ſcil. cum patre regnare cepit,) vidit Daniel viſionem, de quatuor beſtiis, deſignantibus quatuor Imperia Orbis, videlicet anno primo, Olymp. 50. circa annum ante Chriſtum 579½. Daniel. 7.

Anno tertio ejusdem, vidit Daniel viſionem, de qua Daniel. 8. nimirum anno tertio, Olymp. 50. ante Chriſtum anno 577½.

Occiſo Belſazaro, ſuccedit Darius Medus, Nabonnedus dictus, anno ſecundo, Olympiad. 51. ante Chriſtum, anno 575½. Hujus anno primo, Daniel ſperans annos 70. deſolationis Hieruſalem, abbreviatum iri, quia cum Ieremias prædixerit, Iſraëlitas ſervituros, Nebucadnezari, ejus filio, & filii (ſeu filiæ) filio : Iam verò in Belſazaro, omni ejus poſteritate deficiente, nec ſtatim qui ſuccederet extante, rogat Dominum, ut mittat Meſſiam, qui populum verè ſit liberaturus. Audit autem Meſſiam aliquando venturum, verùm non poſt hos hujus captivitatis 70. annos, ſed poſt 70. hebdomadas, easque numerandas, ab exitu verbi de reſtaurando templo, & muris Hieroſolymorum, Daniel. cap. 9. Hoc ergò tempore edita eſt Prophetia de 70. Hebdomadibus. Sub hoc Dario Daniel in lacum Leonum projectus eſt, Daniel. 6.

Anno 3. Regni Cyri Perſici, Daniel denuò ad preces ſe convertit, antequam nimirum Cyrus Babylonem cepit. I. enim, ſperabat, quia nunc præſtò ſit Cores, Iſai. 44. & 45. ideò captivitatem eſſe finiendam, ſecundò erat is annus Iubilæus, tertiò finiti erant anni 70. à captivo abducto Ioachaz in Ægyptum, Daniel. 18. Is fuit annus tertius, Olympiad. 55. ante Chriſtum, 557½. Sed audit ex Angelo, quòd Angelus malus, Princeps Perſarum, ſibi 21. diebus reſtiterit, ideò captivitatem illam adhuc 21. annis duraturam. Sub hoc Cyro, intra hos 21. annos, Daniel deſtruxit Belum,

interfecit Draconem, & iterum conjectus eſt in foveam Leonum, Daniel. cap. 14.

Poſt hos 21. annos finitos, adeoque poſt completos 70 annos, à deſolatione Templi & Urbis, Cyrus haud dubiè à Daniele edoctus, populo Iſraëlitico reditum in terram patriam conceſſit, &c. 2. Paralip. ult. Eſdræ 1. Et hic eſt annus, qui primus annus Cyri, tanquam liberatoris numeratur, & annus quartus, Olympiad. 60. ante Chriſtum $536\frac{1}{2}$. Ad hunc annum vixit Daniel, Daniel. cap. 1. v ult. Veriſimilimum autem eſt, ipſum hoc anno mortuum eſſe, centenario non minorem, nam inter reduces nullibi numeratur.

2. Hiſtoria ſolutæ captivitatis.

Anno primo reditus, ædificavit Ieſua, & Zorobabel Altare Domini, & anno ſecundo, fundaverunt Templum Domini. Is eſt annus quartus, Olymp. 60. & annus primus, Olymp. 61. atque annus 536. & 535. ante Chriſtum. Sed impeditur negotium omnibus reliquis diebus vitæ Cyri, & ſequentium Regum, uſque ad ſecundum annum Darii, Eſdræ cap. 1. & 2.

Quoniam ergò in præcedentibus demonſtratum eſt, quòd is Darius ſit Darius Nothus: patet, quòd ſtructura templi fuerit impedita, ſub reliquo tempore Cyri, ſub Cambyſe, Dario Hyſtaſpe, Xerxe, & Artaxerxe Longimano.

Hoc loco operæ ptetium etiam eſt, conſiderare aſtum hoſtium populi DEI, quo eum adorti ſunt, de quo Eſdræ 4. Vicini enim hoſtes, vivo Cyro, ædificationem prohibere non audent, Cyri mandato ipſis obſtante. Nec etiam Iudæos accuſatum ad Cyrum ſcribunt: Ipſe enim ut Iudæorum amicus, mandatum ſuum non retractaſſet. Igitur amicitiam ſimulant, ſuamque piam, & fidelem operam, & manus auxiliatrices pollicentur & offerunt. Cum autem Ieſua & Zorobabel, doloſum eorum animum agnoſcentes, eos à ſe repellerent, ibi ipſi partim aperta vi, per crebras incurſiones, & irruptiones, non quidem Regia authoritate, (nam nec Cambyſes decretum paternum abſque piaculo infringere fuit auſus, juxta ſtatutum Perſicum, Daniel. 6. v. 8. 12. 15. Eſdræ 1. v. 19. ſicut etiam id ſub Dario Notho inventum, in priſtino vigore permanſit,) ſed de facto impediverunt manus ædificantium, ea ſpe procul dubio freti, id ſibi impunè licere. Nam à Cyro, bello Scythico, non neceſſario, attamen funeſto, implicito, & à Cambyſe, nec Iudæorum res, nec ullam Religionem curante, ſibi nihil metuebant: partim ſingulari aſtu eos ſunt aggreſſi. Conſiliarios enim adverſus Iudæos conduxerunt, ſive etiam ipſos Iudæorum Conſiliarios muneribus corruperunt, ut bonas conſultationes diver-

ſis

ſis conſiliis fraudulenter, & doloſè inverterent. Hinc factum eſt, ut tàm architecti, quàm operarii in diverſas rapti ſententias, nihil firmi aut ſani extruerent. Iſtud licet aliquamdiu ex ſententia hoſtium ſuccederet, Iudæos tamen ab ædificatione non prorſus abſtinuiſſe, quanquam ſatis inféliciter, & multa cum moleſtia opus procederet, ex eo patet, quòd nec hoſtes ipſorum quieverunt, ſed ſubinde grandiora moliti ſunt, donec tandem interdicto Regio, Iudæi prohibiti, totum opus imperfectum relinquere coacti fuerunt. Nam ſub principio Regni Aſſueri, qui nobis Xerxes putatur, quando Cyri mandatum propemodum expiraſſe, aut amiſſum, vel oblivioni traditum putabatur, hoſtes populum DEI accuſare incipiunt. Verùm Aſſuerus hic, accuſationibus quidem locum non dedit, nec tamen Iudæos adjuvit, nihil enim quid, vel an, reſponderit, extat, vel quia Cyri mandatum Regia authoritate abolere non nihil fuit veritus, vel quia bellicis negotiis impeditus, res Iudæorum, ipſorumque DEUM non magni fecit. Tandem verò ſub Artaxerxe Longimano, qui 72. annis poſt Cyri latum decretum regnare cepit, iſti Iudæorum hoſtes, Beſelam Mithridates, & Tabeel, graviores accuſationes ad Regem deferunt, quibus eum in ſuam ſententiam adeò pertraxerunt, ut ſevero mandato Iudæos ab omni ædificatione abſtinere præciperet.

Ex quibus manifeſtum eſt, Iudæos à fundato templo, usque ad interdictum Artaxerxis Longimani, non ab omni ſtructura templi, vel reſtauratione Urbis abſtinuiſſe. Verùm omne ipſorum opus infeliciter, proceſſit. Hoſtes enim ipſos aut incurſionibus impediverunt, aut propter corruptorum Conſiliariorum verſuta conſilia, operæ ipſorum parum fuerunt laudabiles. Sic enim 1. Eſdræ c. 4. v. 4. 5. factum eſt, ut populus terræ impediret manus populi Iudæ, & turbaret eos in ædificando. Conduxerunt autem adverſus eos Conſiliarios, ut deſtruerent conſilium eorum, omnibus diebus Cyri Regis Perſarum, & uſque ad Regnum Regis Darii, Regis Perſarum. At verſ. ult. ejusdem capitis, poſt interdictum Artaxerxis publicatum legitur: Tunc intermiſſum (quaſi dicat, prius impeditum, maxima cum difficultate, exiguo cum fructu, & ornamento proceſſit, nunc autem planè intermiſſum,) eſt opus domus Domini in Hieruſalem, & non fiebat usque ad annum ſecundum Regni Darii, Regis Perſarum.

Hoc autem Dario Notho, regnare incipiente felicior aura, rebus Iudaicis ſpirare incipit. Iudæi enim Duce Zorobabele, & Sacerdote Ieſua, nunc ex mandato Domini, per Aggæum & Zachariam Prophetas, ad intermiſſum opus ſtructuræ Templi redeunt, idque feliciter ex ſecundo

anno, ad ſextum Darii complent. Quin etiam cùm populus terræ, ſive Satrapæ Regii Iudæos coarguerent, quòd contra mandatum Artaxerxis Longimani Vrbem & Templum reſtaurarent: Ipſi, ſpreto hoc mandato alio antiquiore, Cyri ſcilicet mandato, ſuum factum defendunt. Licet autem quod ex circumſtantiis aliquo modo colligi poteſt, nonnulli eis pro antiquo more remoras injicerent: primarii tamen Satrapæ ab omni violentia ſe cohibentes, Domino omnia ſic diſponente, cujus manus erat ſuper eos, ne impedirentur, 1. Eſdræ 5. v. 5. multò ſunt æquiores. Rem enim ad Darium referunt, & de Cyri mandato (quaſi & ipſi id poſteriore Artaxerxis mandato annihilari non poſſe confiterentur,) inquirendum monent. Quod dum fit, Rex ipſe, divino inſtinctu, novo mandato Cyri decretum confirmat, quemadmodum quæſtione octava diximus.

fol. 38. 2. Hiſtoria Prophetiarũ Zachariæ. & Aggæi. fol. 33. fol. 38.

Nunc tempora editarum Prophetiarum, per Aggæum & Zachariam, atque mandati Darii, de Templi ſtructura abſolvenda inquiremus.

Darius Nothus, ut ſupra quæſtione tertia inquiſivimus, regnare cepit, circa Autumnum in anno ſecundo, Olympiad. 89. ante Chriſtum, annis $422\frac{1}{4}$. Hebræi tamen id more ſuo, à Niſan, primo ſuo menſe, in Vere, ſive juxta craſſiorem calculum, circa menſem Aprilem inchoant, anni 422. labentis. Ejus ergò annus ſecundus incepit in vel poſt Autumnum anni tertii, Olympiad. ejusdem, hoc eſt, ante Chriſtum, annis $421\frac{1}{4}$. ſed ſecundum Hebræos, cum Aprili anni 421. ante Chriſtum labentis. Atque hoc anno ſecundo, Aggæus & Zacharias Prophetias ſuas, de perficienda ſtrctura templi ediderunt. Igitur Zorobabele & Ieſua hoc eodem anno ad extructionem redeuntibus, Darius Rex per Satrapas ea de re monitus, antiquum Cyri mandatum renovat, & ſua Regia authoritate corroborat.

1. Nam ad Aggæum, anno hoc hujus Darii Regis Perſarum ſecundo, die uno, ſeu primo menſis ſexti, primò factum eſt verbum Domini, Aggai cap. 1. v. 1. quo Iudæi graviter increpantur, ob neglectam domum Domini. Zorobabel igitur & Ieſua, cum omni populo, mox opus Domini facere inſtituunt, &c. Factum hoc eſt craſſiore calculo (ſubtiliore enim ſcrupuloſitate hîc opus non eſt) à principio Aprilis numerando, circa primum diem Septembris, noſtri anni ante Chriſtum 421. labentis.

2. Secunda Prophetia Aggai 2. v. 1. facta eſt eodem ſecundo anno, & menſe ſexto, die vigeſimo quarto, hoc eſt, circa 24 Septembris. Huic
3. mox verſ. 2. ſubjungit aliam, menſe ſeptimo, die vigeſimo primo, quæ facta eſt in fine feſti Tabernaculorum, circa 21. diem Octobris noſtri. Promittit

mittit autem Dominuſ, quòd etſi hæc ſecunda domus non adæquat ornatum domus primæ, quam Salomon magnificentiſſimè extruxerat, gloriam tamen ejus multò fore majorem, quia in ipſa Meſſias, ille deſideratus cunctis gentibus, ſive deliciæ cunctarum gentium ſit ſeſe exhibiturus, in ea concionaturus, & æternam pacem reſtituturus.

Quod autem Prophera hoc 2. cap. verſ. 4. dicit: quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima, & quid vos videtis hanc nunc? nunquid non eſt ita, quaſi non ſit in oculis veſtris? Ex his verbis nequaquam argui poſſe judicamus, ut quidam magni Viri omninò cenſent, quaſi hæc Hiſtoria non ſub Dario Notho, ſed ſub antiquiore aliquo Rege, videlicet Dario Hyſtaſpe, contigerit, quia Propheta hîc ſatis apertè aſſerat, ſuperſtites adhuc quoſdam fuiſſe, qui domum ſeu Templum Salomonis in prima ſua gloria, antequam à Babylonis deſtrueretur, viderint. At dubium non eſſe, quin ſecundo anno Darii Nothi nemo eorum, quos Nebucadnezar, prioris Templi deſtructor, in Babylonem deportavit, ampliùs vixerit. Nam à captivitatis Babylonicæ initio, ad hunc ſecundum Darii Nothi annum, h. e. ab anno ante Chriſtum $606\frac{1}{2}$. uſque ad $420\frac{1}{2}$. interſunt anni 186. Oportebat ergò eos, qui prioris Templi gloriæ recordari potuerunt, quàm proximè 200. annorum fuiſſe. At ab eodem captivitatis initio ad ſecundum annum Darii Hyſtaſpis, qui incepit anno ante Chriſtum $520\frac{1}{2}$. ſolummodo anni 86, numerantur. Tutiùs igitur & multò veriſimilius dici poſſe cenſent, hanc Hiſtoriam non ſub Dario Notho, ſed ſub Hyſtaſpis Filio contigiſſe. Nos reſpondemus: Sicut quidem non ſimpliciter affirmare poſſumus, quòd hoc Darii Nothi ſecundo anno nonulli, qui prius Salomonis Templum viderunt, adhuc in vivis fuerint: ita id etiam non ſimpliciter negare audemus. Nam illud ſeculum, quoſdam valdè grandævos homines tuliſſe, ſupra quæſtione 9. probavimus. Ieſua & Zorobabel ad minimum 150. annos vixerunt. Eſdras, qui cum aliis ex Babylone à Cyro dimiſſis redierat (quot tum annorum fuerit incertum eſt) is annis 113. poſt libertatem illam conceſſam adhuc vixit. Nehemias autem certò 236. annos ſuperavit &c. Qua propter nec hîc omninò negabimus, ſuperfuiſſe etiam tunc nonnullos ducentenarios. Veruntamen nos illa Prophetæ verba non tanquam aſſerentis, ſed optantis aut ex hypotheſi loquentis accipimus, quaſi dicat Propheta, utinam quidam ſupereſſent, vel ſi qui adhuc in vivis eſſent, qui domum priorem in ſua gloria viderunt, certè ij mihi aſtipularentur, quod nulla ſit hujus domus

fol. 94 95.

n 3 com-

comparatio cum majeſtate illius prioris &c. Non ergò hinc ſequitur Darium hunc non fuiſſe Nothum, ſed Hyſtaſpis Filium.

4. Eodem hoc ſecundo Darii Nothi anno Deus Zachariam quoq; miſit, qui in opere cepto Zorobabelem, Ieſuam & totum populum confirmaret. Nam Zach.1.v.1. Verbum Domini factum eſt ad Zachariam menſe 8. qui cum noſtro Novembri congruit.

5. Ad Aggæum die 24. menſis noni, qui nobis eſt December, ejusdem anni ſecundi Darii, ſive 421. ferè finiti ante Chriſtum, Dominus bis Prophetæ loquutus eſt Aggæi 2. v. 11. 19. & 21. exprobrans populo ſegnitiem præteritam, quâ ſuas quidem domos curaverint, ſed domum Domini neglexerint, ideò ſe eos multis calamitatibus viſitaſſe. Sed quia nunc intenti ſint reædificationi Templi, ideò ſe ipſis abundè benedixiſſe.

6. Rurſus ad Prophetam Zachariam factum eſt verbum Domini eodem anno ſecundo Darii die 24. menſis 11. quod tempus convenit cum menſe Februario noſtro, anni ante Chriſtum 420. labentis.

Interea verò à Septembri menſe, quo juxta primam Aggæi Prophetiam Iudæi ſtructuram Templi totis viribus & intento animo urgere & continuare ceperunt, Satrapæ Regii Thatthenai & Setharbozenai (Thathnai & Stharboſnai) eorumque ſocii, Judæos ea de re compellant, cur tanto conatu extructionem promoveant, cùm tamen non ita pridem contrario mandato ab Artaxerxe Rege nuper demortuo ſint prohibiti, nec ejus inhibitionis relaxationem à Dario Rege moderno acceperint? Verùm oculus Domini (1. Eſdr. 5. v. 5.) erat ſuper ſeniores Iſraël, cui ipſi, ex cohortatione Prophetarum Aggæi & Zachariæ fidebant, ut nec minis ſe abſterrere ſinerent, nec etiam tantum audaciæ fuit ſatrapis, ut vel inſidiosè per corruptos conſiliarios, ut ſuperioribus annis factum fuit, opus turbarent, vel aperta vi, eos impedirent. Iudæi enim ad Darium pro exequutione mandati Cyri, contra Artaxerxis inhibitionem appellaverunt. Conventum ergò eſt inter eos, ut totum hoc negotium Dario denunciaretur. Hanc autem interpellationem factam eſſe non ante menſem octavuum hujus anni, ex contextu cap. 5. lib. 1. Eſdr. & principio Prophetæ Zachariæ colligi poteſt. Uterque enim Propheta, tàm Aggæus quàm Zacharias tum Prophetarunt, hic autem menſe octavo, qui nobis eſt November Prophetare cepit, Inde donec legatio in Babylonem veniret, donec item re ſeriò deliberatâ, Cyri decretum quæritur, magna interim pars anni hujus ſecundi præterlapſa eſt. Igitur Darii novum decretum, quo Cyri mandatum, anti-

qui-

quitate ex memoria hominum quaſi elapſum, renovavit, & de novo confirmavit, latum fuit vel circa finem anni ſecundi, vel etiam in anno 3. Regis Darii, h. e. in anno 420. labente ante Chriſtum, ſed Aggæus & Zacharias divinitùs moniti, ad opus agrediendum cohortari ceperunt Ieſuam & Zorobabelem, quando ad Epochen Chriſti reſtabant anni $420\frac{1}{4}$. Atque ab hoc tempore Iudæi libertate tàm à DEO ipſo, quàm à politico ſupremo magiſtratu conceſſa, nemine prohibente, Domum Domini ante 186. annos à Nebucadnezar deſtructam, atque ante 114. annos, biennio poſt ſolutam captivitatem Babylonicam fundamentis poſitis, iterum reſtaurari ceptam, perficere rurſus ſunt aggreſſi. Hoc item tempore alterum certamen Angeli cum Principe Perſarum, Dan. 10. v. 20. nimirum poſt prius illud prælium, quod 21. diebus cum Perſarum Principe geſſerat, ibid. v. 12. finitur. Et hoc tempus probè nobis notandum eſſe quæſtione ſequenti patebit.

Poſt hæc verbum Domini factum eſt ad Zachariam, Zach. 7. anno 4. Darii, die 4. menſis noni Caſleu. Ejus occaſio fuit legatio Judæorum, qui in Babylone manſerant, nec in Patriam terram redire voluerant, attamen cùm Templi ſtructuram feliciter procedere audirent, ex Babylone ſua donaria etiam Hieroſolymam mittunt, ut & ipſi benedictionum divinarum participes fierent. Incidit hæc Prophetia in Decembrem (ab Aprili numerando) anni 420. labentem ante Chriſtum, h. e. præcedit Epochen Chriſti annis 419. & ferè menſe.

Anno autem ſexto Darii, Domus Domini fuit abſoluta die 3. menſis Adar, qui eſt 12. menſis. 1. Eſdr. 6. v. 15. Is eſt menſis Martius anni 416. labentis ante Chriſtum. Judæi ergò intra annos 4. & menſes 6. Domum Domini compleverunt. Atque inde menſe ſequente, primo ſc. anni Iudæi celebrant Paſcha ingenti cum ſolennitate & gaudio 1. Eſdr. 6. v. 19.

Et hæ quidem Hiſtoriæ ſunt; quæ ſub Dario Notho in Hiſtoria ſacra inveniuntur.

Dario Notho ſucceſſit Artaxerxes Mnemon cujus Regni initium incipit 2. vel 3 menſe anni 1. Olymp. 49. ante Chriſtum annis $403\frac{1}{2}$.

Sub hoc Rege floruerunt Eſdras & Nehemias. De eo ſcribitur. 1. Eſdr. 7. v 1. Poſt hæc verba in Regno Artaxerxis Regis Perſarum, Eſdras Filius Saraiæ &c. & verſ. 6. ipſe Eſdras aſcendit de Babylone. verſ. 7. Et aſcenderunt de Filiis Iſraël &c. (multi) in Hieroſolymam, anno 7. Artaxerxis Regis &c. verſ. 8. & venerunt Hieroſolymam menſe quinto. Ipſe eſt annus ſeptimus Regis quia in primo die menſis primi cepit aſcen-

3. Hiſtoria Eſdræ & Nehemiæ.

aſcendere de Babylone, & primo die menſis quinti venit Hieroſolymam &c. Anni autem ſeptimi Artaxerxis initium incipit (quemadmodum ex præcedentibus colligitur) cum anno 3. Olymp. 95 in æſtate, ſive circa initium Iulij anni 398. labentis ante Chriſtum. Primus verò menſis Iudaicus eſt Aprilis (craſſiore, ut ſuprà fecimus, calculo menſes metiendo) & menſis quintus eſt Auguſtus. Etſi autem hi duo menſes primus & quintus in unum quidem & eundem annum, juxta numerationem Iudæorum, qui annum à vere inchoant, incidunt: ij tamen juxta numerationem annorum Perſicorum, qui ut ſupra quæſt. 1.
fol. 5. diximus circa ſolſtitium æſtivum, ſicut & anni Olympiaci, initia ſua habent, non uni & eidem anno 7. Artaxerxis competunt. Uter autem anno ſeptimo debeatur ex verbis cap. 7. lib. 1. Eſdr. liquidò patet. Nam poſtquam verſ. 7. dixiſſet, ſe cum reliquis Iſraëlitis aſcendiſſe Hieroſolymam anno 7. Artaxerxis Regis: ibi ſtatim verſ. 8. ſubjungit, Et venerunt Hieroſolymam menſe quinto, & mox quaſi ſingularis diſtinctionis gratia addit, Ipſe eſt annus ſeptimus Regis. Igitur menſis ille quintus, noſtro Auguſto reſpondens, ad 7. annum pertinet. Quare menſis primus cum Aprili noſtro congruens, cui ejuſmodi diſtinctionis nota nulla apponitur, ad annum Regis ſextum referendus eſt. Idcircò profectionis hujus initium factum eſt anno 6. Artaxerxis tempore verno ſive anno 2. Olymp. 65. tempore verno h. e. in Aprili anni ante Chriſtum labentis 398. Hieroſolymam autem venerunt paulò poſt initium ceptum anni 7. Regis, atque anni 3. Olymp. 95. h. e. menſe Auguſto ejuſdem 398. ante Chriſtum. Ob quam cauſam hæc, diligentiorem inquiſitionem poſtulaverint, mox patebit.

Eſdras die 1. menſis 1. in anno 6. Regis Artaxerxis h. e. noſtro Aprili anni ante Chriſtum 398. ingreſſus eſt iter ex Babylonia verſus Hieroſolymam, aſſumpto ſecum diplomate Regio 1. Eſdr. 7. v. 9. 11. congregavitque plures principes, qui cum ipſo aſcenderent ibidem verſ. ult. congregati verò convenerunt ad fluvium, qui decurrit ad Athava, ibique manſerunt triduo. 1. Eſdr. 8. v. 15. quibus Eſdras prædicavit jejunium, ut ſe affligerent, Deumque pro felici itinere precarentur. Ibid. verſ. 21. poſt dies 12. primi menſis à flumine Ahava promoverunt & Hieroſolymam pertexerunt. Ibid. verſ 31. Veneruntque Hieruſalem die 1. menſis quinti, ibid. c. 7. v. 8. Manſerunt autem ibi diebus tribus (ut à moleſtia itineris prius ſe recrearent) die verò quarto numerarunt argentum & aurum, & cætera, quæ à Rege & 7. conſiliariis ejus Deo offerenda acceperant cap. 7. v. 15. ſecum apportarunt cap. 8. v. 32. 33.

Eſdras igitur, poſtquam ſtatum perluſtraverat, tandem menſe nono, qui eſt noſter December, Synodum agit, ſive comitia provincialia, legatosque emiſit, qui omnes in Juda & Ieruſalem congregarent in Ieruſalem intra triduum, ſub mulcta tàm excommunicationis unius cujusque perſonæ propriæ, quàm confiſcationis omnium ejus bonorum 1. Eſdr. 10. v. 7. 8. Convenerunt igitur (v. 9.) omnes viri Iuda & Benjamin, in Ieruſalem 3. diebus, menſe videlicet nono (qui nobis eſt December) die 20. Hæc convocatio vel Synodus innuit annum Sabbatarium, quo juxta præceptum Domini, Deut. 31. præter lectionem Legis Domini, etiam Politicum conventum Iudæi habere fuerunt ſoliti. Hæc argumentatio, de anno Sabbathario, nonnihil quidem infirmior videtur. Nam Synodus fuit celebrata, non menſe ſeptimo, ſed nono, & quidem propter ſingularem quandam transgreſſionem populi, videlicet propter ductas uxores mulieres alienigenas, quem defectum Eſdras, qui à Rege Perſarum miſſus fuerat, ut viſitaret ſtatum Reipublicæ Iudaicæ, ejusque commiſſos defectus, 1. Eſdræ c. 7. v. 14. reformaret & corrigeret, omninò corrigendum duxit: Veruntamen quod ille Sabbatariorum annorum Character ſive nota monet, idipſum calculus Chronologicus ſecundum eorundem ſeriem comprobat. Quæſtione enim ſexta demonſtratum eſt, quòd annus, captivitatem Babylonicam proximè præcedens, fuerit Iubilæus, ideoque ſimul Sabbatarius. Ejus initium inciderat in Autumnum anni primi, Olympiad. 43. qui erat annus 608. ante Chriſtum labens. Hic autem annus ſeptimus Artaxerxis, incidit, ſicut paulò ante probavimus, in annum tertium, Olymp. 95. ante Chriſtum, annum 398. quorum differentia continet annos 210. hoc eſt, numerum per ſeptem dividuum. Ergò neceſſariò annus Sabbatarius hoc anno ſeptimo Artaxerxis fuit celebratus.

fol. 59.

Illa igitur Synodo provinciali populus, qui die vigeſimo menſis noni, qui noſter December eſt, convenerat, ſedit in platea domus DEI in frigore, & pluviis, tremens, tàm propter illud peccatum, (rectiùs, rem illam, vel negotium, ſcilicet propter alienigenas uxores, quas dimittendas audiunt, & quidem non absque dolore, & perturbatione) quàm propter hybernum frigus, & pluviam. Cùmque multi eſſent, qui in hoc deliquerant, ideò negotium hoc quibusdam fuit commiſſum, qui ut Iudices in his cauſis matrimonialibus cognoſcerent. Hi ergò conſiſtorium agunt, à primo die menſis decimi, qui noſter Ianuarius eſt, anni 397. ante Chriſtum, usque ad primum diem menſis primi, anni ſequentis, qui eſt noſter Aprilis, 1. Eſdræ ult. v. 16. 17.

Etſi autem Rex Darius Nothus, & Artaxerxes Mnemon, Iudæis faverunt, vicini tamen populi, eorumque Satrapæ, quando & ubicunque potuerunt moleſti fuerunt, & crebris incurſationibus obruerunt. Hoc quidem expreſsè non ſcribitur, ſed ex circumſtantiis clarè cernitur. Nam Nehemias, Nehemiæ cap. 1. cùm eſſet in Suſis Pincerna Regis Artaxerxis, audit ex fratre ſuo Hanani, & aliis viris ex Iuda, quòd muri Hieroſolymorum diruti ſint, & portæ combuſtæ igni. Locutos autem illos eſſe de recentiore quadam calamitate, ipſæ circumſtantiæ evincunt. Nehemias enim cap. 1. deplorat miſeriam Iudæorum, quòd in tantis afflictionibus, & opprobrio ſint conſtituti, & quòd inſuper muri ſint diruti, & portæ exuſtæ. Sic capite 2. Nehemias noctu circuit civitatem, & faciem ejus, atque ubi mœnia refectione indigeant, coràm intuetur. Invenit autem muros magna parte deſtructos, & portas igni aduſtas. Hæc de vaſtatione Vrbis à Nebucadnezare facta, intelligi nullo modò poſſunt. Is enim ante 213. annos, tota mœnia, & portas demolitus fuerat, unde poſt tot annos de portis ne favilla, de muris vix ullus lapis reſiduus eſſe potuit, cùm tamen hîc non murorum tantùm, ſed etiam portarum rudera reliqua conſpicerentur. Nec credibile eſt, Darium, qui anno Regni ſui ſecundo tanto cum Zelo, templum juxta Cyri mandatum extrui juſſit, & Artaxerxen, qui anno ſeptimo Eſdram in Iudæam ablegavit, ſimulque munera ad templum miſit, addens, 1. Eſdr. cap.7. v. 23. omne quod ad ritum DEI cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo DEI cæli, ne fortè iraſcatur, contra Regnum Regis, & filiorum ejus. Non inquam credibile eſt, hos Reges non ſimul etiam mandaſſe, ut Vrbs Hieroſolymorum reficiatur, & juxta proportionem Templi DEI cæli, exornetur. At non poſtremum Vrbium ornamentum eſt murorum, & portarum munitio: Quin imò Aggæus cap. 1. v. 4. increpat Iudæos, quod ipſi habitent in domibus laqueatis, ſive tabulatis, hoc eſt, non tantùm contra vim, & injuriam tempeſtatum commodis, ſed etiam eleganter exornatis. At quis crederet Iudæos his ſeſquicentum annis, non etiam Vrbem muniviſſe muris, & portis, ut etiam contra vim, & injuriam hoſtium, quotidiè irrumpentium eſſent tuti, & ſecuri? Certum igitur eſt, Iudæos etiam ſub piis Regibus multa adverſa eſſe paſſos. Et hanc quidem cladem admodum fuiſſe gravem, & funeſtam, ex eo colligitur, quòd Nehemias tantis ſuſpiriis, tamque lamentabili precatione eam deplorat, & ejus potiſſimum causâ de Suſis in Hieruſalem aſcendere deſiderat, Nehemiæ 1. Idem colligitur ex virulenta ſubſannatione Sanaballati, Tobiæ & Goſemi, hoſtium ipſorum Satraparum Regiorum, qui omninò ſibi perſuaſerant, muros Hieruſalem reædifi-

reædificari poſſe, tàm eſſe impoſſibile, quàm mortuum reſuſcitari, quin potiùs ipſorum labores, tàm fruſtraneos eſſe, ut etiam vulpeculæ muros, quos putent ſe conficere lapideos, ſint perforaturæ & tranſilituræ, Nehemiæ cap. 2. v. 19. & cap. 4. v. 1. 2. 3. Nec dubium eſt, quin mœnia illa, tum multo cum ſanguine Iudæorum fuerint deſtructa, multaque cæde portæ exuſtæ, unde Nehem. cap. 7. v. 3. & 17. Hieroſolymam deſertam eſſe dicit, hoc eſt, amiſiſſe Vrbis faciem, & ruderibus quàm civitati ſimiliorem eſſe, &c.

Nehemias igitur de hac tanta calamitate certior factus, anno vigeſimo Artaxerxis, menſe Caſleu, qui eſt nonus, & noſtro Decembri reſpondet, vehementer luget. Poſt autem menſe Niſan, qui primus eſt in anno Iudaico, attamen in eodem vigeſimo anno, impetrat à Rege veniam in Iudæam proficiſcendi, & Vrbem Hieroſolymorum reſtaurandi. Inde ergò Nehemias nullibi longas protrahens moras, mox Hieroſolymam aſcendit, & circa finem quarti menſis Hieroſolymam venit. Nam poſt adventum, triduum ibi commoratur, priusquàm cuiquam conſilium ſuum aperiret. Nehem. c. 2. v. 11. poſt mœnia reficit, eorumque interruptiones feſtinanter reſarcit, atque totùm opus complet, die 25 menſis Elul, (qui ſextus eſt,) diebus 52. Illis autem tribus, & his 52. diebus, à 25. die ſexti menſis, retrò numeratis, adventus Nehemiæ cadit in finem quarti menſis, qui eſt Iulius noſter. Igitur in itinere conſumpſit Nehemias fermè quatuor menſes, quot etiam Eſdras, 1 Eſdr. 7.

Poſt murorum cicatrices reſartas, Eſdras menſe ſeptimo, populo, qui omnis velut unus vir fuerat congregatus, poſtulante, librum legis, à Domino, Moſi traditum, prælegit, coràm omni multitudine virorum, & mulierum, die prima, à mane usque ad meridiem, ejusque explicationem die ſecundo, prout petunt, addit, Nehem. 8.

Ex his, quod nequaquam prætereundum eſt, clariſſimè patet, quòd ſupra quæſtione prima diximus, diverſa eſſe, annorum Iudaicorum, & Perſicorum initia. Nam tam menſis Caſleu, in anno Iudaico, nonus menſis, quàm ſequens primus Iudæorum menſis, hoc eſt, duorum Iudaicorum annorum menſes, incidunt in unum, & eundem Perſicum annum nimirum viceſimum Artaxerxis, Neh. 1. & 2. cap. Horum ille preceſſit ſolſtitium Hybernum, hic æquinoctium Vernum ſequutus eſt. Ex quo conſtat, annum Perſicum, nec à ſolſtitio Hyemali, nec ab æquinoctio Verno, initium ſumere, ſed aut ab æquinoctio Autumnali, aut à ſolſtitio Æſtivo. Veriſimilius autem eſt, quod quemadmodum alii Orientales populi, Perſæ annum ſuum cæperint ab Æſtivo ſolſtitio, cum annis Olympiadum. Fol. 5.

O 2 Deinde

Deinde clariſſima nota hoc loco cernitur, anni Sabbatarii, cujuſmodi in tota S. Scriptura vix ulla reperitur, cap. enim 8. Nehemiæ omnimoda eſt exequutio præcepti Divini, quod Deut. cap. 31. v. 10. habetur. *Poſt ſeptem annos, inquit Dominus, anno remiſſionis, (hoc eſt, Sabbatario) in ſolennitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Iſrael, leges verba Legis hujus coràm omni Iſraël, &c.* Idipſum profectò hoc loco factum eſt. Quare certum eſt, quòd menſe illo ſeptimo annus Sabbatarius inceperit. Et quod hæc ratio ſuadet, idipſum calculus Chronologicus confirmat. Cùm enim precedens menſis Caſleu, & menſis primus, (Nehemiæ 1. & 2. cap.) incidiſſent in annum vigeſimum Artaxerxis, ex eo conſtat, quòd ſequens menſis ſeptimus, qui cum noſtro Octobri convenit, pertineat ad annum vigeſimum primum ejusdem. At annum ſeptimum hujus Regis fuiſſe Sabbatarium, paulò ante probavimus. Ideò annus vigeſimus primus, qui bis ſeptem annis à ſeptimo diſtat, neceſſariò Sabbatarius, quoque fuit. Incidit hic annus in annum ante Chriſtum 384.

Perſeveravit autem Nehemias in Iudæa, usque in trigeſimum ſecundum incluſivè, annum Artaxerxis, Nehemiæ cap. 5. v. 14. & cap. 13. v. 6. Nec eſt dubium, quin interea toto illò tempore, Nehemias, ceu Dux populi, Iſraëlitas ab hoſtium vi defenderit; multa quoque ab eis fuerit paſſus. Anno autem trigeſimo ſecundò, Nehemias ad Regem Artaxerxen redit, ſed poſt finem dierum, (hoc eſt, ut plerique interpretantur poſt annum,) in Iudæam revertitur. Hic annus trigeſimus ſecundus, Regis, eſt annus quartus, Olympiad. 101. ejusque initium incidit in Julium, anni 373. ante Chriſtum, quod & ipſum probè notari volumus.

Index

***

# INDEX QUÆSTIONUM.


## Quæſtio I.

*DE tranſitu Chronologico, ex Hiſtoria ſacra in ſcripta Prophana, pro connectendis annis prioribus mundi, cum ſequentibus.* fol. 1.

## Quæſtio II.

*Sub quibus Regibus Babyloniorum, ſive Aſſyriorum, populus Iudaicus 70. Annos captivus fuerit detentus: & quàm diù quisque eorum regnaverit; usque ad Cyrum Regem Perſarum, qui Monarchiam Aſſyriorum ad Perſas transtulit.* fol. 15

## Quæſtio III.

*De Regibus Perſarum, qui; & quo ordine ac tempore usque ad Alexandrum Magnum, qui Monarchiam Perſarum deſtruxit, & ad Græcos transtulit, regnaverint.* fol. 33

## Quæſtio IV.

*De anno Vrbis Babylonicæ à Cyro captæ.* fol. 41.

## Quæſtio V.

*De 4. transmigrationibus ſeu captivitatibus Babylonicis, populi Iudaici, & quando qualibet earum ceperit.* fol. 47.

## Quæſtio VI.

*Quòd annus proximus ante quartam captivitatem Babyloni-cam, ſive ante deſtructum Templum fuerit Iubilæus.* ,fol.56

## Quæſtio VII.

*De principio & fine 70. annorum captivitatis Babylonicæ.* fol.64

## Quæſtio VIII.

*Quinam ſint illi Artaxerxes & Darii, Reges Perſarum, de quibus libro Eſdræ & Nehemiæ, & in Prophetia Aggæi atque Zachariæ legitur.* fol. 82

## Quæſtio IX.

*De ætate duorum Ducum primariorum, ſive Principum Iudæorum, à completa captivitate Babylonica, usque ad Alexandrum Magnum, nimirùm Zorobabelis & Nehemiæ. Item de ætate Ieſuæ Sacerdotis ſummi, & Eſdræ Sacerdotis & Scribæ. Item Sanaballat hoſtis Iudæorum.* fol. 92.

## Quæſtio X.

*De hiſtoriis & prophetiis atque rebus memorabilibus, geſtis ſub Dario Notho, & Artaxèrxe Mnemone, item ſub Daniele Propheta, quibus nimirum temporibus competant, prout in libris Eſdræ & Nehemiæ, atq; Prophetiis Danielis, Aggæi & Zachariæ referuntur.* fol.96

***

# INDEX

Nota, Lector Benevole, ob binos γραμματοθέτας numerum quoque variari, hinc voculâ pag. Tabularum, voculâ verò fol. Quæſtionum numerum eſſe intelligendum.

## A


Aaron frater Moſis. pag. 8.
Aaronis nativitas Ibid
Aaronis filii. p. 9.
Aaronis mors. p. 11.
Abdon judex. p. 13.
Abrahami nativitas. p. 3.
Abraham decennio ſenior Sarâ. Ibid
Abrahami vocatio Ibid.
Abrahami peregrinatio. Ibid.
Abrahami ſecundum conjugium. p. 5.
Abrahami mors. Ibid.
Abſolonis exilium. p. 16.
Abſolonis interitus. Ibid.
Adami mors. p. 1.
Aera Ezechielis. p. 30.
Aetas Noæ dum arcam extrueret. p. 2.
Agabi vaticinium. p. 52.
Aggæus ſub Dario prophetavit. fol. 71. 83.
Ahab Rex. p. 21.
Ahab domus exterminatio. p. 23.
Ahaſuerus mandatum Cyri diſſimulat. fol. 83.
Ahaſueros ἄρχος. fol. 83.
Alexander Magnus Rex Aſiæ conſtituitur. pag. 40. & fol. 41
Alexander Magnus Rex Macedonum declaratur. p. 39
Alexander Magnus Iudæis iratus, Iaddua obvio reconciliatur. pag. 39. fol. 84.
Alexander Iamnæus quartanâ extinguitur. p. 44
Alexandra ejus conjunx Phariſæorum ſectæ addicta. Ibid
Alexandri Magni mors. pag. 40. & fol. 41
Almageſti libri uſus & authoritas. fol. 55
Ammonis inceſtus. p. 16.
Amram pater Moſis. p. 8.
Anna Propheliſſa ætas. p. 49
Anni Babyloniorum Regum quo tempore incipiendi. fol. 5.


Annorum

## A

*Annorum Iubilæorum & Sabbathariorum character.* fol. 56
*Annorum Iuda Regum initium à VERE ſumendum.* Ibid.
*Annorum Nebucadnezaris initium ab æſtate calculandum.* Ibid
*Annorum Regni Græcorum initium à Roxane.* pag. 40
*Annorum initium ab Vrbe Roma conditæ.* p. 27
*Annorum Sabbatariorum initium circa Autumnum.* fol. 57
*Annorum & Dierum Sabbathariorum hiſtoriæ ſingulares.* pag. 2. 10. 11. 14 15. 16. 17. 19. 20. 22. 26. 28. 29. 30. 42. 43. 45. 48 51.
*Annus captivitatem Babylonicam præcedens fuit Iubilæus.* fol. 59
*Antiochus Epiphanes in Iudæos crudelis.* p. 41
*Antiochus Epiphanes tabeſcens moritur.* p. 42
*Apoſtolorum primum concilium.* p. 52
*Archelaus Tetrarcha Iudææ.* p. 50.
*Archelai relegatio.* Ibid
*Ariſtobulus matrem in carcere necat.* pag. 44
*Ariſtobulus in piſcina ſuffocatur.* p. 47
*Arthabſaſtha, dicitur etiam Artaxerxes.* fol. 83
*Artaxerxes Longimanus impedit ædificationem templi.* p. 37
*Artaxerxes Mnemon quàm diu regnaverit.* fol. 40
*Artaxerxes Ochus quando mortuus.* Ibid
*Aſſuerus quis.* fol. 86
*Athniel primus liberator populi Iſraelitici, poſt ingreſſum in terram Canaan.* p. 12.
*Auguſtus fit Conſul Romæ.* pag. 46
*Auguſtus ſuperat Antonium.* p. 47
*Auguſti Imperatoris mors.* p. 50.

## B.

*Babylonica turris quando extructa* pag. 2
*Babyloniorum mœnia ex cocto latere Nabonnedo regnante ſunt erecta.* fol. 18
*Babyloniorum & Perſarum Regum ſeries.* fol. 30. 31
*Babylon quando à Cyro capta.* fol. 46
*Babylonica captivitatis in Iudæos factæ hiſtoria.* p. 32
*Babylonica captivitatis 70. annorum initium.* fol. 67
*Bellum Actiacum.* p. 47
*Bellum Peloponneſiacum.* p. 37
*Belſazer Danielis non eſt Labynitus Herodoti.* fol. 19
*Belſazer eſt Laboroſoarchodus κακοήθης.* fol. 22. 24
*Belſazer à Beroſo puer dictus, quomodo accipiendum.* fol. 23
*Belſazer vaſa Domini prophanat.* pag. 33
*Belſazer quando occiſus.* fol. 43
*Beroaldus totus abſurdiſſimus.* fol. 66
*Beroſi authoritas orta ex concordantia ſacra Scripturæ.* pag. 14
*Beroſi fragmentum de Regibus Babyloniorum.* fol. 18.

## C.

C. Caligula Imperator. pag.52
C. Caligulæ interitus. Ibidem
Cambyſes filius Cyri. fol 35
C. Iulius Cæſar Monarchiâ Romanâ potitur. p.46
C. Iulii Cæſaris mors. Ibid.
Chriſti annunciatio. p.49
Chriſti verus natalis. Ibid
Chriſti adoratio. Ibid
Chriſti fuga. Ibid
Chriſti Baptiſma. p.51
Chriſti concio ex Eſaia, cap. 61. Ibid
Chriſti prima Diſputatio in templo Ieroſolymitano. p.50
Chriſti paſſio, reſurrectio, aſcenſio in cælos, miſſio Spiritus ſancti. p.51
Chriſtiani nominis exordium. p.52
Chronologiæ ſacræ hiatus. fol.3
Circumciſionis inſtitutio. p.4
Claudius Imperator. p.52
Cleopatra conjunx Alexandri.M. p.42
Cores Danielis eſt Cyrus. fol.77
Crœſus Lydis charus. fol.43
Crœſus ter à Cyro victus. fol.44
Cyri mater Mandanes. fol.34
Cyri periculum infantiæ. fol.35
Cyri Regni initium. Ibid
Cyrus primus Perſarum Rex. pag.34 & fol.34
Cyrus captivitatem Iudæorum ſolvit. pag.35
Cyri decretum Ecbatanis inventum. fol.89
Cyrus ob laſsiorem ſtructuram templi Hieroſolymitani à DEO punitus in bello Scythico miſerè cadit. pag.36 & fol.82.

## D.

Daniel de ſemine Regio. pag.30
Danielis authoritas. fol.97.& pag.31.33
Daniel quando Babylonem abductus. fol.49
Daniel ante Ezechielem Babylonem venit, & ejus concaptivus factus. fol.10
Daniel Belum deſtruit. p.34
Danielis de 70. hebdomadibus Prophetia, quando revelata. p.33
Daniel in lacum Leonum conjectus. pag.34.&fol.97
Danielis viſio de quatuor beſtiis. fol.97
Daniel ſub Cyro in lacum Leonum conjicitur ſecunda vice, ob Draconem occiſum. fol.2
Danielis ætas. p.35.&fol.98
Daniel in captivitate conſenuit. fol.52
Daniel quando mortuus erat annorum 110. fol.75
Darius primus eſt Hyſtaſpes. fol.8
Darius Codomannus Medus, eſt filius Ahaſueros, dictus quoque Nabonnedus. fol.33
Darii ſeverum mandatum, de readificando templo. fol.83.&92.
Dario victo per Cyrum, Regnum Aſſyriorum, ad Perſas tranſlatum fol.33
Davidis unctio. p.14
Davidis monomachia. Ibid.
Davidis confirmatio. p.15
Davidis adulterium. Ibid
Davidis faſtus. p.16
Davidis mors. Ibid

D.

Debora liberatrix tertia ſervitutis Iſraelitica. pag.13
DEBOR vox, quid denotet. p.62
Dies Angelici ſunt anni. fol.80
Dina ſtuprata. p.75

## E.

EBedmelech æthiops, Ieremiam ſervat. fol.58
Ebræi dicti ab Eber. p.62
Ebræi quia in turris Babylonica ſtructuram non conſenſerunt; nativam & primævam Linguam retinent. pag.62
Eli ſummi Sacerdotis mors. p.14
Elias Propheta occludit cœlum. p.21
Elias recludit cœlum. p.22
Elias mactat Prophetas Baal. Ibid.
Eliæ jejunium. Ibid.
Elia in cœlum raptus. p.23
Epocha vulgaris annorum Christi. p.50
Eſaia Prophetici muneris exordium. pag.26.27
Eſaiæ martyrium. p.29
Eſdras alienigenas mulieres pellit. p.38
Eſdras Iudæos ex Aſſyria colligit. Ibid.
Ἐθελοθρησκεία. DEO non probatur. fol.60
Eventus eſt menſura vaticiniorũ. fol.67
Evilmerodach filius fuit Nebucadnezaris Magni ſeu Nabuchodonoſoris. fol.15.21
Evilmerodachi interitus. fol.18.21 32.33
Evilmerodach exaltat Iechoniam Regem Iudæ. fol.54

E.

Euſebij authoritas vacillans. fol.45
Euſebij error. fol.71
Ezechielis Prophetici muneris initium. pag.31
Ezechiel Propheta, cum Iechonia captivus in Babylonem abducitur. pag.31. & fol.51.53.97

## F.

FOEdus de manumiſſione ſervorum quando pactum. fol.59

## G.

GAbriel Archangelus annunciat Zachariæ Iohannem Baptiſtã. pag.49
Gabriel annunciat Mariæ Virgini, parituram MESSIAM Mundi, cujus nomen ſit IESVS. Ibid.
Gabriel Danieli loquitur revelationes. fol.78
Galba Imperator. p.52
Galba occiditur. Ibid.
Gedeon liberator quartæ ſervitutis. pag.12
Grandævi ſunt Sanaballat, Nehemias, Eſdras, Zorobabel. fol.93.94.95

## H.

HEliſæi Prophetæ mors. pag.25
Henochi in cœlum tranſlatio. p.1.
Herodes Iudææ Tetrarcha. p.46
Herodes Rex Iudææ creatus. Ibid
Herodes Agrippa deſignatur Rex. p.52

Herodis

H.

*Herodis Agrippæ interitus.* pag.52
*Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ.* pag.50
*Herodes Antipas deportatur in exilium* pag.52
*Herodes Antigonum Regem Hieroſolymorum cruci alligat, & ſecuri percutit.* p.47
*Herodis infanticidæ mors.* p.49
*Hieroſolymorum Vrbs, quando capta, & exuſta ante Chriſtum.* fol 55
*Hieroſolymorum cum politia Iudaica extrema devaſtatio.* p.53
*Hircanus Sacrilegus.* fol.44
*Hircanus Samariam vaſtat.* p.44
*Hiskiæ reformatio Eccleſiæ.* p.28
*Hiskiæ decubitus lethalis.* p.29
*Hiſtoria Danielis.* fol.96
*Hiſtoria Suſannæ.* fol.96.& pag.31
*Hiſtoria ſolutæ captivitatis.* fol. 98
*Hiſtoria duarum Prophetiarum Aggæi & Zachariæ.* fol.100
*Hiſtoria Eſdræ & Nehemiæ.* fol.103.

# I.

*IAcob quando natus.* pag.5
*Iacobi conjugium.* Ibidem
*proles.* Ibid
*benedictio* Ibid
*fuga in Meſopotaniam.* Ibid
*reditus ex Meſopotamia.* p.6
*Iacobi ſeu Iſraëlis commigratio in AEgyptum.* p 8
*Iacobi ætas cum moreretur.* Ibid
*Iair judex.* p.13
*Iechonias totos 36. annos contra datam fidem carceribus concluſus.* fol.54
*Iephthe liberator quintæ ſervitutis.* pag.13
*Ieremiæ vocatio, ad munus Propheticum.* p 30
*Ieremias in AEgypto fertur obiiſſe.* fol.69
*Ieroboami Idololatria.* p.19
*Ieroboami domus exciſio.* Ibid
*Ieſus Anani Tragicus clamor.* p.52
*IESV CHRISTI nativitas.* p.49
*Ioas Rex.* p.24
*Ioakim Rex Iudæ Babylonem nunquam deportatus eſt.* fol.51
*Iohannis Baptiſtæ annunciatio.* p 49
*nativitas.* Ibid
*vocatio ad miniſterium.* p.50
*decollatio.* p.51
*Iochebet mater Moſis.* p.8
*Ionathas fit Sacerdos.* p.24
*Ionathas amicitiam cum Romanis renovat.* p.43
*Ioſephi, filij Iacob, nativitas.* p.6
*venditio.* p.7
*carcer.* Ibid
*ſomniorum interpretatio.* Ibid
*mors.* p.8
*Ioſephi cum Chriſto fuga in AEgyptum* p.49
*mora quanta.* p 50
*reditus in Galilaam.* Ibid
*Ioſephi hiſtorici error.* fol.17
*Ioſuæ nativitas.* p.9
*Ioſuæ prima comitia.* p.11
*Ioſuæ mors.* p.12
*Iſaaci immolatio etiam ætatis ratione ſingularis.* p.4

I.

*Iſaaci conjugium.* pag. 4
*Iſaaci mors.* p. 7
*Iſraëlis multiplicatio.* p. 8
*Iſraëlitarum ingreſſus in terram Canaan.* p. 11
*Iſraëlitarum ſervitus prima.* p. 12
*Iſraëlitici Regni diviſio.* p. 18
*Iſraëlitici Regni omnimoda deſtructio.* pag. 28.
*Iudas Maccabæus ſuccedit patri.* p. 41
*Iudas Maccabæus init fœdus cum Romanis.* p. 42
*Iudas Maccabæus occumbit.* p. 42
*Iudæi non tantùm Nabuchodonoſori, ſed etiam alienigenis Regibus ſervierunt.* fol. 16
*Iudæorum ſunt quatuor captivitates Babylonicæ.* fol. 47

K.

*Kabath Avus Moſis.* pag. 8.

L.

*Labynetus Herodoti fuit Nebucadnezar Magnus, idque probatur ex ſolari Ecclipſi, quam prædixit Thales.* fol. 17
*Lex quando lata.* p. 10
*Legis Domini amiſſæ repertio.* p. 30

M.

*Magorum adoratio.* pag. 49
*Malachias dicitur Angelus, & prophetavit ſub Dario, filio Hiſtaſpis.* fol. 71
*Manaſſis reſtitutio.* pag. 29
*Manna quando, & quanto tempore data.* p. 10
*Marcus Craſſus templi Hieroſolymitani ſpoliator.* p. 45
*Mathathias Sacerdos.* p. 41
*Medorum & Perſarum Statuta transgredi nemini licuit.* fol. 21
*Megaſthenes Chaldæus fuit.* fol. 20
*Meſſiæ annunciatio facta circa ſolſtitium hybernum.* p. 49
*Meſſiæ oblatio in templo.* Ibid.
*Miriam ſoror Moſis.* p. 8
*Moſis nativitas.* Ibid.
*Moſis filij.* p. 9
*Moſis jejunia quinque.* p. 60
*Moſis mors.* p. 11
*Mundus quando creatus.* p. 1

N.

*Nabonnedus eſt Darius Medus Danielis.* fol 29
*Nabonnedi mors.* fol. 19
*Naboth lapidatur.* pag. 22
*Nabuchodonoſoris vaticinium.* fol. 9
*Nabuchodonoſoris mors ex Beroſi fragmento.* fol 12
*Nabuchodonoſoris primi filius, eſt Nebucadnezar, qui obſedit Ieruſalem.* fol. 13
*Nebucadnezar ſecundus, dat tranſitũ ex ſacra Hiſtoria in prophanas.* pag 31
*Nebucadnezaris Magni, ſunt varia nomina.* fol. 6 & 32

## N.

*Nebucadnezaris obſidio Vrbis Hieroſolymitanæ.* pag.31
*Nebucadnezar furioſus.* p.33
*Nehemias fit Dux populi & Ieruſalem reficit:* p.38
*Nehemiæ ad Regem reditus.* p.39
*Nehemiæ ætas.* p.35 & 39
*Neriglissares ſororius & occiſor Evilmerodachi.* fol.22
*Nero fit Imperator.* p.52
*Neronis interitus.* Ibid
*Noa quo die ingreſſus & egreſſus arcam* p.2
*Noæ mors:* p.3
*Numerus 70. Danieli ad preces de ſolvenda captivitate Babylonica fuit occaſio.* fol.80
*Numeri Harmonici & Myſtici obſervandi.* p.35.& ſeqq.

## O.

*Olympiadis primæ initium.* pag.26
*Otto Imperator αὐτόχειρ.* p.52.

## P.

*Paſchatis primi dies.* pag.10
*Peſtis horribilis.* p.16
*Pharaonis mors.* p.9
*Philippus Tetrarcha Ituraeæ.* p.50
*Philippi Tetrarchæ mors.* p.51
*Pontius Pilatus fit Præſes Iudææ.* p.50
*Prophetia Daniel. cap. 11. explicatio.* fol.16
*Prophetia non ſemper ſecundum verba ſonantia, ſed juxta eventum explicanda.* fol.37

## P.

*Ptolemæus Philadelphus Biblia Hebræa per 70. Interpretes in Græcam converti curat.* p.40.

## S.

*Salomonis nativitas.* pag.16
*Salomonis 1. unctio.* Ibid
*Salomonis comitia.* Ibid
*Salomonis templi initium & completio* pag.17
*Salomonis mors.* Ibidem
*Samaritanorum origo.* fol.85
*Samſon liberator ſextæ ſervitutis.* p.13
*Samuel Iudex.* p.14
*Samuelis mors.* p.15
*Sanaballat Satrapa Nehemiæ infeſtus* fol.85
*Sanaballath mors.* p.15
*Saræ mors.* p.4
*Saul primus Rex Iſraëlitarum.* p.14
*Sauli interitus.* p.15
*Scaliger Herodoto & Ioſepho fide dignior.* fol.20
*Scaliger de Dario, & Dario Notho cum Artaxerxe, optimus eſt.* fol.84
*Scaligeri error ratione temporum Cyri & Nabuchodonoſoris.* fol.8
*Sceptri Iudaici omnimoda ablatio.* pag.48
*Sem medius inter fratres.* p.2
*Sennacherib perjurus.* p.29
*Sennacherib ſtrages.* Ibid.
*Septuaginta Hebdomadum Danielis initium.* p.37
*Simon Ethnarcha loco fratrum occiſorum.* p.45

S.

*Smerdes Magus.* fol. 8
*Stephani lapidatio.* pag. 51.

# T.

*Tabernaculi extructio.* pag. 10
*Tabernaculorum feſtum tempore Eſdræ ſolenne.* p. 39
*Templi extruendi locus monſtratus.* pag 16
*Templi renovatio.* p. 49
*Templi Hieroſolymitani vaſtatio & exuſtio prima, per Nebucadnezarem facta.* p. 34
*Templum in Garizim extructum.* p. 39 & fol. 86
*Thare cum filio Abraham, & Nepote Loth egreſſus ex VR Chaldæorum, ſicque prima ſeparatio fidelium ab infidelibus.* p. 3
*Thirſatha vocatur Nehemias.* fol 94
*Tiberii Imperatoris mors.* p 52
*Tobiæ ætas.* fol. 48
*Triphon perfidus in Ionathan.* p 43
*Triphon occiſus.* Ibid
*Troja quando capta.* p. 13

T.

*Tyrus quando devicta.* fol. 84.

# V.

*Veſpaſianus Imperator ſalutatur.* pag. 52
*Vitellius Imperator.* Ibid
*Vitellius occiditur.* p. 53.

# X.

*Xerxes terror Græciæ.* pag. 36. & fol. 36
*Xerxem interficit Artabanus.* p. 36. & fol. 37.

# Z.

*Zacharias prophetavit ſub Dario filio Hiſtaſpis.* fol. 71. 83
*Zacharias lapidatus.* pag. 25
*Zacharias Sacerdos pater Iohannis Baptiſtæ incredulus.* p. 49
*Zedechias ultimus Iudæorum Rex* fol. 54
*Zedechia capto omnis politia Iudæorum ſublata fuit.* Ibid
*Zerobabel unde dictus.* fol 70.


## ERRATA.

PAgina 2. linea 29. pro 25. lege 35. p. 8. l. 32. pro 133. lege 123. p. 13. l 34. lege Sacerdote. Quæſt. fol. 3. l 22. lege tranſitum. Alm geſti. fol. 4. l. 24. fol. 19. l. 1. lege Nabonnedus. fol. 22. l. 18. ſucceſſiſſe. fol. 37. l. 14. lege prævaluerit fol. 38. l. 9. Imperium fol 41. l. 7. tranſit. fol. 44. l 26. Xenophontis. fol. 45. l. 3. lege Mandanen. l. 38. lege habebimus. fol. 47. l. 19 fuit. fol. 53. l. 26. Nebucadnezare, fol. 59. l. 34. lege Ioſiæ fol. 66. l. 24. lege ipſius. fol. 67. l. 28. vaticiniorum. fol. 78. l. 19. lege pro fol 84 l. 27. pro non lege enim. fol 87 l. 11. lege Artaxerxe. fol. 93. l. 17. lege Hieroſolymorum. fol. 98. l. 21. operæpretium.

FINIS.

001166812

XXXXVI
C 37

Digitized by